



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Anima Historiae Hujus Temporis In Invicto Caroli V. Et Ferdinandi I. Fratrum Imperio, Repræsentata**

**Masen, Jacob**

**Coloniae Agrippinae, 1672**

Historiarum, De Carolo Quinto Imperatore, Et Ferdinando Eius Fratere. Liber  
I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-28359**

HISTORIARVM,  
DE CAROLO QUINTO  
IMPERATORE,  
ET FERDINANDO  
EIVS FRATRE.  
LIBER I.



Principis in Europa viri Caroli ejus nominis Imperatoris Quinti, & Ferdinandi fratris in administratione socij, historiam ordior, quâ vix ulla majorum ætas, aut rerum gestarum novitate aut varietate nobiliorem habuit. Veterum in illa bellorum recurrunt exempla, & recentium exhibentur imagines: Regum Principumque cognatorum exercita cruentis decertationibus odia, levi que momento ex amicis hostes, ex hostibus amici: nata hæreses seditionesque ad seram posteritatem propagandæ: quassata cum religione regnorum fundamenta, & libertatis studio libertas perditæ: sædæ Rerump. occumbentium clades, & quæ fidem humanam penè superet, usurpata in Deum perfidia. Sed nec vulgaria virtutum argumenta continet. Prudentis fortissimique herois vivam imaginem: excelsi juxta submissique animi decora: belli artes, fortunamque: suscepta ac deposita pari cum laude imperia: illustria profanæ religiosæque vitæ exempla, ut eadem & pacis & militiæ quædam magnis esse schola viris possit: pusilla mortalium animæ, quod admirentur; sublimes, quod imitentur, reperiant. Habebit miles in bello fortitudinis egregiæ spscimen, in adversitate constantiæ. Videbit contrâ dissipatos libertate exercitus, profligatos vitijs, qui hostibus nunquam cesserant. Discant Religiosi consecratique Deo homines, quanta sit Reip. perniciēs, disciplinam ac mores in his sædè per libidinem arrogantiæque dissolvi, qui reliquis disciplinæ ac morum rectè formandorum autores esse debeant. Intelligent Principes, quibus institutis ad fortunæ virtutisque eximium decus educandi sint; quâ arte, & bella, & regna administranda; quantum cum magnis imperijs curarum suscipiatur & discriminum; quantum admi-

A

admi-

*I.  
Secun-  
dum his-  
tes histo-  
ria argu-  
mentum.*

*Variam  
regnorū  
sortem  
virtutū-  
que ac  
vitijs  
exempla  
continet;  
illa sequē-  
da, hæc  
fugien-  
da.  
Cuius  
ordini ad  
instru-  
tionem  
ser. is.*



admirabilius sit scepra deponere, quàm accipere. Animadvertent subditi, quàm turpe exitiosumque multis fuerit, aut suorum in se Principum admittere vitia, aut æquum detrectare imperium. Apparebit, quantum credula plebis simplicitas, quantum avaritia & libertas nobilitatis damnum Germania dederit, nullâ satis curâ posteritatis instaurandum. Denique & sua adolescentibus tam ad mores, quàm ingenium excolendum emolumenta erunt, amœna historiarum utilitas, & jacta velut quædam eloquentiæ semina animum pascent, linguamque simul cum mente erudient. Quæ causa, cur & hujus aliquot, & superioris ætatis Scriptores cultissimos suis quandoque verbis loquentes induxerim. Erunt fortè & nonnulli, qui ex turpissimo religionis dissidio, mentem ab errore ad veritatem revocent, propagatasque ex sua origine dignoscant hæreses. Nulli ætati ordinique deerunt pulcherrima sapientiæ virtutisque formandæ, vel præcepta, vel exempla: neque ad pietatem sola pietas; sed exercita quoque impietas, hæc odio, illa amore provocabit: cum aliorum non minus offensionibus cavere, quàm prudentiâ discamus sapere.

II.  
Speculo  
similibus  
si or a est,  
repræsen-  
tas æquè  
turpia ac  
pulchra.

Historia, ut speculum est, quæ turpia æquè ac pulchra tetegit; illa ad intuentium emendationem; hæc ad oblectationem, imitationemque. Quæ & mihi ratio ad excusationem sufficiet, si in viris quoque Principibus vitia erroresque minimè dissimulaverim, cum res quaslibet, prout huic sese objicerent speculo, repræsentare necessum fuerit. Quanquam aliorum hac in re judicia non magnoperè reformidem, cum seculi alterius imaginem potius, quàm præsentis ducere maluerim, ut procul timoris favorisque affectionibus, nihil alijs tribuere, nihil metuere mihi cogerer, solâque veritatis expositione tutò acquiescerem. Sed neque gentis propriæ studio (quod multorum vitium scriptorum est) neque alienæ odio me quicquam indulgisse, æquus æstimator comperiet. Religionis dissipatæ exordia eo sensu judicioque scripsi, ut fontes auctoresque malorum suis quoque coloribus depingerem, nullâ sanè, aut laxâ veritatis conscientiâ, aut destinatâ perfidiæ vindicatione; sed quod in ambiguis quorundam ad laudem reprehensionemve opinionibus, cum indubitata potissimi orbis sententia pronuntiandum statuerem. In Lutherum si quid acerbius ex ipsius ore calamoque depromptum sit, propter Schleidani hoc in argumento depravatam historiam, nemo mihi æquus imputabit. Quod ipse neglexit, alijs commemorandum reliquit.

III.  
Odium  
amoris  
parium  
à scripto-  
re deposi-  
tus  
Quid in  
orationi-  
bus histo-  
ricis m. x

Ceterùm aliorum odia invidiamque, odiorum ipse invidiæque vacuus exposui, quæ neque præmijs, neque penis ad scribendum provocato declinare non erat difficile. Undè tam ego neminem, aut iniquum rerum mearum judicem, aut historicæ ignarum legis futurum autumem, qui mutuo jactatas in orationibus criminationes scriptoris affectibus imputet; aut qui ad veritatis semper regulam exigat profectas sæpè exulceratis ab animis hostium adversus hostes sententias. Quæ tamen non veterum historicorum more ex scribentis ingenio ad indolem cujusque concepta formataque sunt; sed ab ipsis primùm auctoribus (quod modò typographiæ beneficium est) in vulgus manarunt. Quanquam mihi

hi



hi religioni non duxerim, multa ex illis pressius, pauca etiam liberaliori quandoque sententiâ exponere, modò commentitijs argumentis non fallerem; quòd non minùs Romanæ eloquentiæ, quàm historicæ veritatis studiosis scriberem, & cum brevitate, tum cultu aliquo numeroque orationis legentium fastidio consultum irem. Neque prætereundas has mihi dissertationes, aut negligenter tractandas existimavi, quòd litium illæ offensionumque causas, æmulandi studia, bellorumque fontes, arcana consiliorum, ac vim rationemque, cum profana, tum sacræ gubernationis ac prudentiæ potissimum complecterentur; ut historia sine his disceptationibus exposita, corpus absque vita futurum videretur. Ceterum grave omninò nihil, quo aut gentis cuiuspiam fama, aut Principum Regumque existimatio convelli possit, in hos annales relatum est, quòd non autè pluribus vulgatum scriptis, orbisque Europæi consensione probatum, fidem memoriamque posteritatis meruerit, ut mihi succensere nemo jure debeat, publicis è tabulis pronuntiatam sententiam repetenti. Nullas equidem, aut nocendi, aut adulandi cuiuspiam causas habeo. De mortuis, undè nec spes, nec metus offeratur, ad vivos refero: virtutum vitiorumque exempla ad amorem execrationemve posterorum exhibeo: mores simul ingeniumque ad scientiam virtutemque beneficio literarum compono; quo meo labore nemo æquus offensionem potest accipere, nemo iniquus cum ratione tueri.

Hanc equidem historiam, velut quandam in teatro adornavi tragœdiam, in qua & superiorum imago temporum, & hujus sæculi spectaretur exemplum, ut dum præsentia intuemur, adesse præteritis, & jucundâ quadam recordatione ad proavos redire, eorumque nos immiscere consilijs actionibusque videamur, adeoque quandam hîc historiæ plurium sæculorum animam possideamus. Certe qui Carolum Austriacum in Germania Italiaque decertantem conspexerit, qui hostium debellatorum sedes ac nomina, qui propugnatam cum capitis discrimine religionem, qui causas eventaque bellorum expenderit, ille ad pristina sese translatum sæcula, Magnique illius Caroli, supremi ejusdem Europæ Domini, spectare bella, ac numerare victorias existimaverit: exemplis usque adeò præsentibus, ut non modò rerum; sed & vocum quandoque signa eadem reperturus sit. Nec minùs admirabitur, si hanc, quam vivimus ætatem, in ista Carolina vivis penè coloribus repræsentari animadverterit, si bella per Germaniam ex eodem religionis turbato fonte derivari, si eosdem machinatores populos, eisdem gentium externarum nixos fœderibus, si fidei patriæque defensores eosdem, si infelicem bellorum exitum perniciemque in autorum potissimum capita revolvit, intelligat. Hic primam observabit eversa tranquillitatis labem, primas inclinantis imperij ruinas, jurata hostium amicorumque in hostes & amicos fœdera, rectas politicæ disciplinæ artes, & ad captandas armorum causas mutata belli nomina; tantâ historiæ paritate, ut confundi sæcula, & vivere cum nepotibus avi, aut cum avij nepotes existimentur.

In horum ego contemplationem arbitriumque Lectorem advoco, quem sine formidine atrocia intueri bella, sine corruptione occultis interesse machina-

is obser-  
vandum.

## IV.

Hac de  
Carolo V.  
historia  
similis  
tragœdia  
in teatro  
proposita  
est, præter-  
iti simul  
& præsen-  
tis, quo  
hac scri-  
bo, sæ-  
culi ima-  
ginem re-  
præsen-  
tantis.

## V.

Lecturis  
in hac e-  
volven-



da amœ  
na con-  
templatio.

tionibus, partium inter Reges Principesque sedere medium, sententiamque rectè aut secus factorum impunè licebit pronuntiare. In parvis nonnunquam observabit imitanda majoribus, in summis etiam orbis Principibus, quæ infimos amplecti indecorum non fuerit. Quæ si digna humanis ingenijs, atque à me ad honestam non minùs utilitatem, quàm voluptatem elaborata intelliget, Deo Divisque calamum ac dexteram scribentis moderantibus, gratus accipiet.

VI.  
Maximi-  
lianæ Imp.  
discretio,  
duo maxi-  
mi Re-  
ges pro  
imperio  
sua digni-  
tate ac  
virtute  
discertat,  
Franci-  
scus Rex  
Gall. &  
Carolus  
Austria-  
cus.

Abierat jam vitâ Maximilianus Imperator, neque heredem ex se ullum reliquerat: quod ingens multis erat spei metusve argumentum. Jam imperij dignitas ab Austriaca se se familia propius ad alias vitâ est inclinasse: nec modò ad hanc expectationem admitti Germania cetera, sed & exterarum nationum Proceres. Erant duo maximi Europæ Principes, Franciscus Gallorum, & Hispaniarum Rex Carolus: quorum ille Valesiorum creatus sanguine, Ludovico ejus nominis duodecimo, regijs filiabus exclusis, Salicæ legis beneficio successerat. Hic ex Philippo Belgarum Hispaniæque, recenti fortunâ, Principe, relictus Maximiliano Imperatori Nepos erat; ad quem defuncti jam patris hæreditas devenerat. Uterque, neque alijs, neque sibi indignus est vitus, cui vacans imperij corona majestasque obveniret. Sua quemque ad hoc indoles ac virtus provocabat. Opes etiam animos fecerant, ut si virtuti locus non esset, auro armisve fieret. Cæsar moriturus, à Septemviris successorem sibi dari oraverat Carolum. Sed hæc preces arbitrio multorum subjectæ, non nisi ad æqua rationum momenta & suffragia Electorum valitura erant.

VII.  
Varijs  
dotibus  
Franci-  
scus Ca-  
rolo poti-  
or visus  
est.

Vix ætas tanto imperio habilem Carolum fecerat; ut qui adolescens etiamnum, vitæ annum vigesimum nondum attigisset. Majorem ab ætate autoritatem, quamvis adhuc juvenis, Franciscus adferebat, qui sex ac viginti annos natus, ea domi militiæque suæ dederat virtutis documenta, quæ jam virum ostenderent, atque imperij oneribus parem. Liberalis in Principe animus, quem neque arrogantia plus æquo efferret, neque deprimeret levitas, familiaria juventuti vitia, ubi præsertim ad libertatem accessit facultas. Eximia illum rerum multarum cognitio summis; humanitas facilitasque etiam infimis æquaverat. Has animi dotes commendabat egregia corporis species majestasque. Neque hæc domesticis tantùm perspecta; sed per Europam vulgata, armorum, quem jam tum circumtulera, strepitu latè insonuerant. Quis esset Franciscus, victi juxtâ ac victores noverant. Illi dignam Rege clementiam; hi fortitudinem prædicabant, felicitatem omnes. Recenti memoriâ bis victor ferebatur Franciscus, semel in Alpium faucibus, semel in Italia contra fortissimos Pontificij Helvetique nominis Duces; tanto victoriæ præmio, quantum erat Mediolanense imperium, ex cladis acceptæ terrore, Regi patefactum.

VIII.  
Quibus  
causis  
Franci-  
sco Caro-  
lus præla-

Cum tam potente, tantique nominis adversario Carolus de imperij dignitate; non armis, sed genere ac virtute certabat, eo quidem eventu, quo negata Francisco corona, Austriaci sanguinis juveni, addiceretur, quòd in eo, præter Germaniæ originis decus, illa jam tum emicaret morum gratia, quæ ad tanti imperij majestatem gloriamque sustinendam valitura crederetur. Quocirca  
altiùs



altiùs paulò Caroli indoles ab ipsis incunabilis exploranda; ne, qui tanti Imperatoris gelta pertractanda suscepimus, prima vitæ virtutumque elementa contemptim transeamus, in ipso operis limine negligentia damnandi. Anno à partiente Virgine C D D, ferijs D. Matthiæ Apostolo consecratis, tertiâ sub noctem horâ, illud Austriacæ familiæ sidus Gandavi, nobili Belgarum urbe, ortum ferunt. Pater illi erat Philippus Maximiliani Imperatoris filius, mater Joanna Ferdinandi Hispaniarum Regis filia. Ab hac regnum illud longè amplissimum; ab illo, nihil regno inferius, Belgium habuit. Avus paternus, Maximilianus, maternusque Ferdinandus Catholicus hanc Caroli fortunam auspiciati fuerant. Ille à Maria conjugè Caroli Burgundi (quem Audacem dixerunt) filia, Burgundiæ Flandriæque possessiones jure dotali ad Austriacos traduxerat: hic Aragoniæ Siciliaque Dominus, præter Neapolitanum Navarraque regna, contra Gallos Granatæque adversus Mauros occupata, Castellæ sibi provincias cum Isabella Henrici Castellanorum Regis sorore adjunxerat: Joanne Lusitanorum Rege, qui filiam Henrici duxerat, sed, ut ferebant, spuriam, nequicquam oblutante. Philippum parentem sexennis, immaturâ morte, amisit Carolus, utroque etiamnum avo superstite. Stirpis tamen non infecundæ, quamvis cito arefcens, furculus. Præter Ferdinandum enim fratrem, postea Imperatorem, sorores numeravit, Eleonoram Emanueli primùm Lusitano, post Francisco Galliarum Regi nuptam; Isabellam Christierno Dania; Mariam Ludovico Hungariæ, Regibus traditam, post Belgicis rebus præfectam; Catharinam denique Friderico Saxonum Principi connubiali vinculo sociatam. Totâ Europâ Carolus, aut sanguinis, aut affinitatis jure, summis quibusque Principibus junctus erat; ut alius quàm Imperator nasci aut mori non debuerit. Quamvis inter eximias hujus Principis laudes illa numeretur præcipua, quod neque natus, neque mortuus Imperator fuerit; sed magnâ virtute ad imperium vocatus, majori etiam deposuerit: *Cum minus aliquantò sit, imperium, cum non habeas, mereri, quàm cum habeas, utro contemnere.*

Ipsa nobis Caroli Ecclesiæ initiati principia, qualis quantusque Princeps vitam accepisset, haud obscurè indicârunt. Siquidem Gandavi, inusitato novi operis exemplo, gemina in aëre constructa porticus, omnium admiratione spectata est: altera palatium, ædemque D. Joannis, continuato per tria millia quingentosque pedes opere, conjuncta, septenis pedibus & à terris suspensa, & in latitudinem explicata. Multa in porticu, quæ & ingenium artificis, & operis pulchritudinem commendarent, spectantibus sese offerebant. Centum & bis mille faces, dubio adhuc die, ambulationem illustraverant. Arcus quadraginta, triumphali opere excitati, porticum suis intervallis distinxerant, augustiores in ceteris terni: quorum unus sapientiæ, alter justitiæ, tertius paci ac concordiæ inscriptus visebatur. Quibus præter lumina, suam etiam fecerat gratiam eximia colorum varietas. Altera porticus è fastigio duarum turrium divi Nicolai, & Capitolinæ ædis librata, decumanis instrata compactaque funibus; novum, si non orbis, certè urbis miraculum videri poterat. Hanc faces plurimæ festivique i-

tus fue-  
rit.Genus &  
natis  
dies Ca-  
roli.Guillel-  
Zanoca-  
rus in vi-  
ta Caroli  
V.Lant Su-  
rius in  
Cöment,  
reiv ge-  
starum  
ad ann.

1500.

Alphon-  
sus Ulloa  
& Anro-  
nius de  
Vera l. 1.Vitæ ma-  
nuseripta  
Romæ &  
Trev.

IX.

Dua ad-  
mirabiles  
porticus  
in baptis-  
mali ejus  
die Gan-  
davi ex-  
citata.



gues exornaverant. Illam majori instructam cultu puer Carolus subiit, cum ad D. Joannis basilicam salutari unda expiandus deferretur. Res sanè rara, nec sine Numine administrata. Jam tum Europa magnum aliquid in Carolo præsentisse est visà, quæ primùm nascenti hoc veluti theatrum virtutis gloriæque excitavit, undè vulgo hominum altior, sub pedibus ceteros mortalium conspiceret.

X  
*Aff. xus  
 populi &  
 dona  
 publica  
 privata-  
 que.*

Ingens cum plebis, tum procerum multitudo ad Baptistæ fontem confluerat. Magnarum enim personarum ortus, ut Solis est, ad quem plerorumque mortalium oculi avidè convertuntur. Duo procerum aderant aureo insignes vellere, Carolus Guiliemus Croyus, & Satrapa Bergensium; Heroinæ totidem regio natæ sanguine; Britannica altera, Edoardi Anglorum Regis soror; altera Austriaca, Cæsaræ Maximiliani filia, Margarita nomine: utraque orthodoxæ fidei iussores puero assistere; tam liberali eximiâque munerum oblatione, ut & regia donantium munificentia, & accipientis dignitas facillè eminent. Neque populus fructu publicæ lætitiæ caruit. Ter aurea in circumfusam hominum turbam moneta spargitur, ab Archiduce infantis parente; à Gandensium ordine; ab ejus denique urbis cive locupletissimo, erectâ præ foribus, quâ transitus puero erat, theatriali, ad hoc officium, scenâ. Undè & infanti Principi vas aureum magni ponderis, inter viros quinquaginta tædis illustres, filij manibus oblatum, admirationem meruit. Sed & urbis Magistratus navem ex argento quinquaginta pondo appendentem obtulit, omen navigationis sub ipsius auspicijs latè feliciterque per Occidentem diducendâ.

An. Chr.  
 1506.

XI.  
*Carolus  
 Philippo  
 patre or-  
 batus, sub  
 cura Ma-  
 ximilia-  
 ni avi in-  
 struitur.*

Sub hæc Carolus, singulari educatus curâ septennium vivendo attingerat, cum insperato oppressum morbo Philippum parentem amitteret. Quæ cum ætas primam, seu vitiorum, seu virtutum sementem, prout quæque ante aliam inciderit, altissimè excipiat: neque alterius facillè frugis, quàm cuius admisit semina, messem reddat: ad laborandum fuit, ne idoneo vitæ morumque magistro destitutus Carolus, alienâ negligentia periret, & flagitia, priusquam nosset, addiceret, discrimine sanè avertendo: cum nulla peccata, quàm adolescentium, graviora sint, se atatis secutura periculum; nulla leviora, si presentis ignoracionem æstimes. Non hæc fugiebant Maximilianum sapientissimum Cæsarem, prospiciebat in quantum regnorum spem adolescerethæc ætas, quot nationum ab ejus indole ac virtute penderet incolumitas, quæ in unius Principis institutione curari negligivè videbatur.

XII.  
*Mores in  
 Principi-  
 bus ado-  
 lescenti-  
 bus ante  
 omnia ad  
 virtutem  
 formandi.*

Ergò animum cogitationesque per Enropam circumtulit, ut excellæ spei fortunæque adolescenti artium, ac præcipuè quidem morum tradendorum magistrum deligeret. Solitus hæc crebro usurpare sermone: Ignorantiam literarum in Principe vèro turpem, virtutum longè turpissimam; neque enim imperatorum rectè populis, qui suis cupiditatibus nesciat: neque equâ reprehensione aliorum damnaturum vitia, qui sua sibi flagitia indulgeat. Excitabat ambitio non paucos, qui vel amicorum studijs, vel ingenij fiduciâ atque ostentatione freti ad hoc sese officium ultro ingererent. Sed Hadriani Florentij, patriâ Ultrajectini, & inter Lovanien-

ses



ses ædis maxima Decani virtus, atque eximie in rerum usi ac cognitione emi-  
nens modestia, ante omnium artificia apud Cæsarem valuere. Hunc igitur Ca-  
rolo Moderatorem adesse voluit, ac prima illi vivendi recte, loquendique ru-  
dimenta tradere. Epebos illi ex prima nobilitate lectissimos, atque indolis  
probatae adolescentes lateri addidit, qui per easdem cum illo artes tradusti, æ-  
mulatione ac vincendi studio Principem excitarent. Ille autem, uti ingenio a-  
nimique magnitudine nemini secundus; illam, quam nascendo præ reliquis di-  
gnitatem consecutus erat, discendo amittere noluit. Multa quidem naturæ ad  
maxima quæque enitenti debebat Carolus; sed nec parum Hadriani solertissi-  
mæ vigilantia. Enimverò suavitatem ille (quam moribus familiarem traxe-  
rat) tam apposita gravitate, lenitatem tam apta severitate permiscebat, ut nunc  
amore, nunc metu Carolum magis raperet, quam duceret, atque is, neque aspe-  
ritatem imperantis odisset, neque facilitate ad vitiorum licentiam abuteretur.  
Egit verò in primis, ne mores haberet incultos, cuius linguam excoleret, ac ne  
minus ornate vivere, quam loqui disceret.

1508.  
Hadria-  
nus po-  
stus Ro-  
man. Pono-  
tifex Ca-  
roli in  
virtute  
& literis  
instru-  
tor.

Exem-  
plar boni  
instru-  
tio-  
nis.

XIII.  
Carolus  
ad eque-  
stris &  
militaris  
disciplinæ  
exercitiis  
magis af-  
ficatur.

Ita tamen cum sensim ad illarum virtutum artiumque possessionem contem-  
deret, quæ tanti Principis dignitatem ornarent, militaribus denique magis di-  
sciplinis capi cœpit, atque à literis, quam par erat, avelli maturius, quod Guili-  
elmi Croyi, qui Cheura Dominus, & Areschotti Marchio fuit, operâ potissimum  
contra Hadrianum effectum est; ut is, cum esset Principis nutritius, integrâ ado-  
lescentis possessione frueretur. Cujus postea facti Carolum haud obscure pœni-  
tuisset ferunt; cum observaret, quanto suo incommodo optimi viri consilia, ma-  
gis tamen alienâ, quam suâ imprudentiâ, præterisset. Certè Genuæ Latinum  
oratore cum plausu dicentem auscultans, cum assequi intelligendo dicentem  
non satis posset, suspirantem dolore Carolum dixisse memorant: *Agnosco Hadria-  
ni instructoris mei divina monita, qui dum has literas neglectim exciperem, aliquando pue-  
rilis me incuria pœnas luiturum vaticinatus est.* Jam tamen adolescens (quo ingenij  
facilitatem intelligas) id studio atque exercitatione affecurus est, ut quomodo-  
cunque Latinâ, non imperitè etiam Gallicâ, Hispanicâ, Italicâ, Germanicâque  
linguâ uteretur, ne quarum gentium ambiret imperium, harum linguas non af-  
sequeretur, quod turpe crederet suis imperantem à subditis intelligi non posse.  
Interea nulla pueri voluptas major, quam scribere, suosque in ordines distribue-  
re, ex cœva puerorum classe, militem, atque hunc ipsum in ludicra ducere cer-  
tamina, mactare victores præmijs, carceribus victos. Quin & volupe illi fuit  
cum leonibus, suis tamen claustris cohibitis, decertare, ut jam tum nil humile  
aufurus videretur. Militiæ verò serâ deinde progymnasmata aggressus, inter  
illa bellandi simulacra, indefessi laboris, animiq; ad quavis pericula interriti ar-  
gumenta dedit. Equum enim inter æquales habili corpore ductuque moderari,  
ad metam scitè jaculum intorquere, globos librare missiles, hastam suspensò in-  
figere annulo, ducere, moderarique nobilium epeborum agmina, ut jam tum  
lineamenta quædam, velut in tabula istius præbere Imperatoris videretur, cu-  
jus postea absolutissimam exhibuit imaginem.

Nec



An Chr. XIV. *Ferdinã-  
dus Caro-  
li frater  
in Hispa-  
nia spe  
regni e-  
ducatur.  
Gone-  
cius in  
rebus ge-  
stis Xi-  
menij l.  
5. in fin.  
& 6. init.  
Mariana  
l. 30.  
Guicci-  
ard l. 12.  
& alij.  
In Caro-  
lã à Fer-  
dinando  
fratre  
hereditas  
per avi  
testamen-  
tum mu-  
tatum  
transfr-  
tur.  
Ferdinã-  
dus Ca-  
tholici  
sine here-  
de masculu-  
la moriẽs  
Carolo  
nepoti  
plurima  
regna re-  
linquit.  
Pauper  
moritur.* Nec Ferdinandi fratris, sexennio post in Hispania nati, ac sollicitè ad hujus gentis mores ingeniumque educati, multum dispar indoles. Sed in herba primum spectata eminebat: cui tantò impensius vigilatum est, quòd ex destinatione avi Regis Ferdinandi in spem regni aleretur. Nam, sive ipso provocatus amore nominis sui, in regio adolescente ac nepote conservandi, sive Hispania natalis puero soli dulcedine, morumque ex aura non tantum, sed & aula gentis trahendorum captus similitudine, Ferdinandum infantem, neglecto nepotum majore Carolo, heredem regnorum testamentarijs non ita pridem tabulis, Burgeni in urbe scripserat, adjeceratque trium ordinum militarium magisteria potentissima, S. Jacobi, Oretani, & Alacanteræ, sibi quondam adversus Mauros pugnanti Pontificiã facultate concessa, atque in hanc spem industriã Gonsalvi Guzmani Oretani Magisterij clavigero, & Alvari Oforij Asturicensis Præfulis curâ singulari educabatur. Verùm ubi Matiensis (quem à confessionibus è Franciscana familia habuit) consilio, Senatoribus regni haud multò antè mortem hæc voluntatis ultimæ tabulas legendas expendendasque obtulisset: quorum jam animos Hadrianus Caroli legatus, uti & Regis ipsiusmet, singulari humanitate, indolisque Carolina deprædicatione occupaverat, unanimi sententiã visum omnibus, hoc successione beneficium à Carolo, ut majori natu, jamque ad regnum aptiore, transferendum, gravissimis ex causis, non esse; & Rex ipse veritus, ne regnorum proceres, nec sibi quidem satis additi, Ferdinandi infantia ad suam libertatem cupiditatesque abuterentur, in Carolum regna à se possessa transtulit, administratoris tamen seu gubernatoris titulo, dum filia Johanna & Caroli mater (quam leges patriæ regno non excludebant) in vita superesset. Quibus constitutis Matricalesio in humili vico, quem cavere in vita, à fatidica jussus fuerat, ritè sacris munitus X. Cal. Febr. decessit, anno salutis MDXVI, ætatis LXIII. Regni Arragoniæ XXXVII. Castellani, à morte Henrici fratris Isabellæ conjugis, XLII. sepultus Granatæ regio funere, ad quod pro dignitate præstandum vix regium ærarium ex amplissimis tot regnorum proventibus sufficiebat: ut multi obstupescerent tot regnorum Dominum pauperem emori, proceresque frustra se in illo liberalitatem desiderasse cernerent, quem omnia in Reip. & Ecclesiæ bonum, non in aulicum luxum profudisse animadvertent. Certè Principum suæ ætatis omnium habitus præstantissimus est, qui religionis Christianæ toto orbe propugnandæ studiosissimus, Catholici Regis nomen optimo jure tulit, quando occupatâ Granatâ urbe Mauros cum Judæis, septingentorum annorum Dominos, totâ exegit Hispaniã; ut bello jam victor, centum XXIV. millia familiarum migrare jussisset, majori tamen religionis, quam terrarum latè incolis exhaustarum emolumento. Porrò victoriam profecutus, trans mare in ipsas extendit Africæ oras. Ne verò fex illa hæreret profligatæ fidei hominum, inquisitio severissima ab eodem est instituta, quæ ad omnem hæreseos suspicionem, & labem religionis quamcunque, equuleos, ferrumque acingnem in promptu habet: dura in paucos, ut plurimos ab hac peste tueatur, chirurgi prudentis in modum, qui ulcus secat, ut corpus vitamque conservet. Præ-  
ter

ter



ter hæc novus sub ipso patefactus orbis, & Hispanorum imperium, & Romanam fidem excepit. Neapolitanum quoque regnum è manibus Gallorum extortum, Gonsalvi Magni virtute servavit. Navarra vero, cum alijs de causis sibi à Joanne Albreto Rege vendicavit, tum potissimum eâ usus potestate, quam Pontifex illi detulit Julius, ob juratam Regi Galliarum Ludovico adversus se Romanamque Ecclesiam in schismate turpissimo fidem. Quando hi Reges aut sunt conciliabulum Pisanum cum nonnullis Cardinalibus indicere, Pontificemque huc judicandum damnandumque evocare. Unde cum è diverso Julius Lateranense Romæ concilium indixisset, Regemque Ludovicum cum Joanne Navarra Rege anathemati subjectos, regiâ dignitate regnisque exutos declarasset; Henricus Rex Anglorum Ludovico, Ferdinandus Joanni arma intulit; & hic quidem feliciori successu, quo victor, regni que possessor factus, materiem disceptandi bellandique longam posteritati suæ, hætenus fixis illic Hispanorum vestigijs insistenti, reliquit. Tot igitur regnorum, multo tempore, summâ curâ, impensisque partorum possessione, Ferdinandus uno momento, & vitæ & fortunæ spoliatus; Carolus sine cura ac labore, uno Dei immortalis nutu donatus est. Tam facilè illi est, & dare non habentibus, & possidentibus adimere: ut hora quandoque unica conferat, quod centum annorum bellam non potuerunt. Et ecce diversam fratrum Caroli ac Ferdinandi sortem: ille jam Belgarum Princeps, & vix Rege inferior, ad tot regnorum possessionem evocatus; Ferdinando prius ad hæc designato, nihil præter gratiam fratris relinquitur. Non magno sanè Europæ bono, quando idem ille Germanorum postea Imperator, majus, quàm pro unius ingenio viribusque imperium administrandum suscepit. Quod divisâ regnandi sorte, citra minorem religionis quietisque publicæ iacturam, poterat administrari, si primis Rex Catholicus testamenti legibus constanti voluntate inhæisset: Magnis enim regnis, ut aquis, rara quies permittitur.

Carolus apud Belgas morte Ferdinandi cognitâ, suæque jam sortis per Hadrianum Legatum, Ximeniumque Cardinalem commonitus, splendidissimas avo exequias adornavit, quæ nisi atro celebratæ habitu essent, triumpho quàm funeri poterant haberi propiores. Quanquam nec errare hac specie magnoperè visus sit, cum iusti Regis mors plausum magis victoris, quàm mærorem victi promereatur. Quare præmissis in exequiali pompa cultis phaleratisque magnificè equis, qui regnorum præ se ferrent diversorum insignia, longo deinde Magistratum nobiliumque ordine, ad ædem Gandavi primariam, cum Ecclesiasticis Religiosisque viris, eâ lege processum est; ut vexilla, rerumque illustriæ gestarum monumenta suis visenda locis eminent. Erectum verò in basilica sacra cenotaphium, inter fulgentia quæqua versum luminaria, succensasque magnifico spectaculo faces, scepra coronasque regales ostentabat Carolina jam non minus, quàm Ferdinanda olim decora: ut Belgium non tam lugere defunctum, quàm victuro plaudere videretur, & unius doloris, alterius esset gloriæ monumentum.

Exequias  
splendi-  
dissimas  
Regi Ca-  
tholico  
adorna-  
tas.

B

Et



An. Chr. *Carolus datus literis Ximenij gubernatoris, benevolentiam occupat.* Et sanè non pauciores à maximis deferebantur Principibus literæ magis gratulationis quàm luctûs plenæ, quæ ita de illius dolerent Solis occasu, ut magis de alterius se lætari testarentur exortu. Ita & Carolus datus ad proceres Hispaniarum literis, multa prætexuit argumenta dolentis animi, ut: quòd se patriamque rectore optimo postnatos homines privatam esse sentiret; tam amante sui, quàm in rudi etiamnum ætate necessario. Iacturam hanc tamen, quamvis incomparabilem, haud mediocriter sarciri avi sui consilio, qui Ximenium Cardinalem, cuius sapientiam multo usu firmatam, gravissimosque ex multorum relatione mores esse cognovisset, præfectum Reip. voluisset. Qua commendatione utcunque mitigavit inflictum Ximenio vulnus; cum Hadrianum ipse Præfecti jam titulo, si Ferdinandus illo morbo occumberet, ad Hispanos ablegasset. Alijs tamen ad Ximenium senatumque literis, Hadriano quippiam se commississe arcanum docebat, quod cum ipsis communicatum vellet, cuius sententiam consilij quamprimùm expeteret. Id verò

*Et Regis sibi titulum vivente adhuc matre, contra Hispanorum morem Catholici Regis voluntatem vendicat.* erat: ut quoniam vivente matre, ad quam regnorum possessio spectaret, regium sibi nomen à summis Principibus per literas legatosque tributum esset, hoc ipsum decrevisset etiam assumere. Ab ipsis proinde expectare sententiam, an non salvis Majorum institutis id liceat; cum Germanos inter Italosque nulla cuiquam liberorum religio sit, paternarum dignitatum titulos, vivis licet parentibus, usurpare. Quæ sanè consultatio Ximenio totique senatui insolens visa est, suspensosque haud parum tenebat: tum quod re jam ante in deliberationem adductâ conclusum esset, multis gravibusque de causis nequaquam expedire: tum quòd non invitari se à Carolo tantum, sed impelli etiam sentirent: ut qui jam secum statuisset regium usurpare nomen, adeoque consultandi hac de re viam præscinderet, solam investigaret rationem defendendi, quod non erat consilium petere, sed imperare consensum.

*Pontificis Cesarisq; consilio ad vitandas seditiones observantur.* Quocirca, cum iteratis Carolum literis orassent: abstinere solum Regis titulo offensionibus multorum, seditionibusque populorum obnoxio, ac potestate minimè per hanc dimissionem infringendâ, uteretur. Perstitit tamen ipse, negavitque, id jam sibi integrum amplius, postquam ea in re Pontificis Max. purpuratorum Patrum, ac Maximiliani Cesaris avique voluntati obsecutus, regium nomen admisisset: curarent proinde, ne tot tantorumque auctoritas secum neglecta recusando videretur. Diversæ erant, quæ hanc ejus voluntatem obfirmarent, causæ. Matris inprimis imbecillitas, quæ ad mentis usque infirmitatem pervenerat, ut hæc non tam rectura, quàm regenda procerum Hispanorum arbitrio videretur. Undè horum expositum cupiditatibus regnum haud leviter quatiendum esset. Præterea nondum satis fida Carolo Principum multorum voluntas, jam tum in contraria discedere studia exploratum erat, non paucis illorum à Ferdinandi Regis consilio dissidentibus. Accedebat Belgarum procerum inprimisque Croyi, qui Caroli animum possidebat, impulsus. Is enim si ultima Regis voluntas religiose propositum obtinere, se quoque ab aula Caroli (quod Rex moriturus cum Hadriano in pactis de admittendo in hereditatem Carolo sancierat) excludendum observârat. Si quidem illis Ferdinando coloribus depictus fuerat, quibus Regis offensionem odiumque contraxerat.

Discr-



Discriminis tamen rem plenam Carolus urgebat. Præsertim cum non des-  
 sent, qui Burgenfibus testamenti Ferdinandæi tabulis, quibus cognominem sibi  
 nepotem heredem scripserat, standum esse contenderent. Nec defuisse his ra-  
 tiones sunt visæ; quod primæ hæ tabulæ integerrimâ Regis mente, firmatoque  
 jam dudum consilio, non subito ut posteriores, & vacillante jam ex morbi gra-  
 vitate judicio, conditæ fuissent. Quod illis Hispanum suis popularibus, his Ger-  
 manum Principem exteris præficeret: quod per illum ultima Regis voluntas,  
 quæ sancta habenda sit, inviolatè servanda; per hunc præter jus fasque infringen-  
 da videatur: per illum Hispani ex Principum suorum arbitrio regendi sint; per  
 hunc Belgæ Germanique Hispanorum capitibus, non sine gentis suæ opprobrio,  
 sint imponendi. Jam verò illud multò retrahebat à Carolo Hispanos maximè,  
 quod se repentè gubernandi consortio ac potestate spoliandos videbant. Præ-  
 fertim cum jam ante mortem Regis Carolus nepos Hadrianum Belgam Hispani-  
 nis per absentiam suam gubernandis præfecisset. Quæ hanc gentem externæ do-  
 minationis impatientem haud leviter inprimis regnandi auspicijs adversus  
 Carolum incitabant. Sed unus Ximenius (quæ illius erat in Carolum obser-  
 vantia, & conjuncta cum honore administrationis sibi à Ferdinando delata, sub-  
 missio) suâ & auctoritate, & constanti erga Carolum benevolentia, hæc per-  
 fregit obstacula. Qui illum Principi honorem jam nuper habuerat, ut licet is  
 gubernationi præfectus à Ferdinando moriente fuisset, Hadriano tamen à Ca-  
 rolo ad id muneris destinato, locum apud se ad consilia administrationemque  
 participandam fecerit: donec suâ hanc novus Princeps sententiâ litem absol-  
 veret. Hinc & Carolus probatâ Ximenij moderatione, privatis illum literis  
 sollicitavit: *omnem huc conferret operam, quod cunctis hæc ipsius regij nominis susce-  
 pti voluntas probaretur.* Quod quidem ab Hadriano ad gubernationem admissio  
 obtinendum non fuisset; ut hic Carolo profuerit, non fuisse exatiditum. Xime-  
 nius igitur, ut postulata exequeretur, Madriti senatum cogit, ad quem Princi-  
 pum quatuor, Anricus Admirantus, Fradricus Albanus, Paciecus Afcalonius,  
 & Rogius Dianensis, Præfulum totidem, Rogius Granatensis regij senatûs præ-  
 fectus, Fonsæca Burgenfis, Fradricus Seguntinus, & Franciscus Abulensis cum  
 alijs nonnullis convenere, ad quos Laurentius Galindus Caravaialius, vete-  
 rum recentiumque legum senator peritissimus, instructissima oratione, ex Ca-  
 roli & Ximenij mente, differuit, qua ostendit: *Non arrogantia aut tyrannidis, qua  
 per vim legesque conculcatis ad regij solij dignitatem irrumpat; sed gravissimorum homi-  
 num, Pontificis Casarisq; impulsu, tum verò ipsâ necessitate ductum, hanc nominis præro-  
 gativam sibi deposcere; cum Regina mater non obscurâ mentis aberratione, amplissima ne-  
 quaquam administrationi Hispaniarum, par queat existimari: & si semina mentis compoti  
 vix tanta rerum moles tuto credi possit, quid impoti secure damandandum sit? præsertim  
 cum nec modo quidem earum, que per nos geruntur, rerum, conscientiam judicemque esse pa-  
 tiamur. Et qua fronte per illam Carolum dirigi, ejusque imperio obsequi volumus? Quid  
 à nobis subditisque impetrabit, cui majestas regij nominis ac reverentia defutura est? Non  
 postulat excludi matrem; sed ut ille, qui overis est particeps, etiam honoris fiat. Nihil hic*

1516.  
XVI.  
Discrimi-  
nis tam-  
men hoc  
consilium  
plenu fuit  
quo à Ca-  
rolo ad  
Ferdinã-  
dum rur-  
sus incli-  
nabatur.

Ximenij  
Cardina-  
lis erga  
Carolum  
favor ob-  
stacula  
perrupit.

Regium  
Carolo  
nomen  
tribuen-  
dum esse.  
& ratio-  
ne & ex-  
emplis  
veterum  
suadetur



**An. Chr.** novum, atque à patrũs institutis usibusque diverſum agitari. Hoc jam olim Hispaniarũ  
 ex Gothis Regem optimum Cindeſvvinum ſuo probaſſe exemplo, cum Recinſvvinum ſi-  
 lium ſecum ad regia dignitatis nominisque uſurpationem admitteret. Hoc Ranimirum,  
 communicatã cum fratre adminiſtrandi regni authoritate. Et ne matrum filiorumque  
 participata deſuiſſe imperia exiſtiment, Vrracam Reginam Alphonſi Raimundi ex ſenari,  
 operam dignitatemque junctam non recuſaſſe. Ferdinandum Regem ſanctiſſimum, cum  
 matre Berengella, Caſtella Legionisque quondam regnis, pari jure imperaſſe. Qui omnes,  
 cum doceant, nihil à Carolo inſolens diverſumque à Majorum conſuetudine factum, quan-  
 do ex aliorum imperio regale nomen uſurpavit: non poſſe quenquam ab illo cum ratione  
 exigere, ut ſemel admiſſum rejiciat. Et, ſiquidem illud vellet, etiam eſſe prohibendum; ne,  
 quod graviſſimorum hominum conſilio ſuſceptum ſit, cum temeritate rejectum videatur.  
 Aſſentiendum igitur, cum ad eum res articulum deducta ſit, ut jam non conſilium ab eis,  
 ſed probatio factorum poſtuletur. Simulque Caroli è ſinu deprompſit, recitavitque  
 literas, eã, quam ſupra memoravi, ſententiã conſcriptas. Diu intra ſilentium ſe  
 viri Principes continuere, inexpectatã poſtulatione, & Galindi oratione percul-  
 ſi, quã privata, ob ſperatam ſub imbelli Regina ac Principe libertatem, ſibi e-  
 molumenta eripi animadvertabant. Ac ſubindẽ in geminas diviſi partes, qua-  
 rum altera Galindo Ximenioque aſſenſa eſt, ne cum gratiam negaret, amitte-  
 ret, ac neceſſitate inductã beneficium corrumpere: altera, in qua Anricus Fa-  
 dricusque Principum anteſignani, manifeſtẽ contradixit: Neque enim exempla  
 à Galindo adducta vim momentamque ad præſentem adferre conſultationem dicebant; &  
 quod nec temporum, nec rerum par ratio. Non ita temerẽ conſulta ſacroſancta legum Re-  
 gumque convellenda eſſe; viderique malẽ ominatum regimen, quod ab horum contemptu  
 exordium ducat. Nec ceteris ea Caroli audacia probata eſt, ut Paciecus Ferdi-  
 nando inferiõr, adeoque Caroli accęſſurus poſtulatis creditus, cum ſententiam  
 rogaretur, negaret ſe daturum conſilium, quod à ſe Carolus non poſtularet.  
 Undẽ promiſcuum murmur, diſſenſum magis quã aſſenſum plerorumque ar-  
 guebat. Ut Ximenius indignabundo vultu ſeverãque voce interpellaret: Ve-  
 ſtrum ſuffragium, O Principes, res minimẽ dubia non exigit; neque enim ſubditorum con-  
 ſenſu ad ſua Rex vota indiget, cum æquitate nituntur. Veſtris ego hoc ſtudijs tribui, ut  
 convocarem ad gratiſſimum Regi præſtandum obſequium officiumque, quo illius promereri  
 gratiam liceret. Vos, quod ex comitate quadam datum eſt, hoc jure vobis deberi perperam  
 exiſtimatis. Equidem ſi regium Carolo nomen denegarem, nec parere quidem in animum  
 inducerem. Quocirca hodie publicã ſolenitate hic Madriti Rex Carolus proclamandus  
 eſt, ut cetera urbium exemplum ſequantur. Quo dicto, Senatũ ab ſe dimiſit, Ma-  
 dritique Præfectum Petrum Corream ad ſe vocatum juffit, recepto Hispano-  
 rum more, primũ in pratorio, interſonante tubarum ſtrepitu, præconis voce,  
 Regem Caſtellæ proclamare, quod deindẽ vicatim, vexillis inter decuriones  
 ſublatis, tubisque præcinentibus, ingenti applaudentis populi, Caroloque vi-  
 tam ac felicitatem apprecantis lætitiã præſtitum eſt. Porro urbes per Caſtel-  
 lam reliquæ prompto obſequio hoc exemplum ſecutæ ſunt, Regulique, qui Ma-  
 driti aberant, Ximenij regijque Senatũs autoritatem veriti, nihil contra, quan-  
 tum

Senten-  
 tiam di-  
 verſitas  
 in pugna.

Ximenij  
 animoſa  
 diſſiden-  
 tium re-  
 prehenſio  
 Et pro  
 Carolo  
 publica  
 de ſinitio.

Carolus  
 Rex per  
 regni Ca-  
 ſtella pro-  
 clamatur  
 Arago-  
 nijs reſi-  
 ſtentibus.



tumvis dissentirent, moliri sunt ausi. Arragonij soli, quibus Ferdinandus Alphonsum filium nothum, Cæsaraugustanum Antistitem, cum summâ gubernatoris potestate imposuerat, sui rectoris dissenfu freti restitère, nec Carolum ante dixère Regem, quàm Johanna Regina morte discederet. Quibus tam Avi, quàm Antistitis veneratione inductus, Carolus hanc ignovit pertinaciam. Interea ceteri Dynastarum urbiumque Ximenij, regijque Senatus literis, observantiam detulère, hæc ad illos datis sententiâ: *Carolum Regem Pontificis maximi, a- rive Maximiliani consilio, regnorum Hispania, quamvis matre superstite, possessionem adyffe. Nec doesse facti rationes gravissimas ex Reip. totius emolumento petitas. Nolle tamen Regem, hanc ita sibi dignitatem deferri, ut Regina mater ab ea separetur, primum illi in regni muneribus honoris observantiaque locum relinqui, primam in tabulis publicis inscribendi nominis sedem ac reverentiam. Carolum in laboris partem, & ad levandam parentem, tantâ regnorum mole vacillantem subvenire. Quod igitur felix faustumque DEVS Opt. Max. ceterique Cœlites, atque imprimis D. Iacobus tutelaris Hispania Apostolus, vellent ac juberent esse: Carolum letis per subjectas provincias vocibus Regem proclamarent; fore, ut propediem & ipsum presentem in Hispania Principem suum intueantur. Tantum Pontificis Cæsarisque apud hanc gentem autoritas valuit; ut sine cunctatione, & accepta ab omnibus hæc sententia fuerit, & magnâ procerum populorumque alacritate impleta, ne sine capite Hispania hostium, ac præsertim Turcarum armis extrema Europæ mimitantibus, opportuna fieret. Solum enim feminæ nomen ad injuriam pronius, hostibus audaciam, timorem subditis injicere poterat, quæ regij tituli majestate facilius declinantur. Et verò deinde compertum nihil ab illa, atræ bilis jactationibus obnoxia, consultò moderateque ac constanter geri posse, quæ eodem quandoque tempore contraria per diversos mandata expediebat; neque seipsam cum ratione poterat moderari. Undè Trudessillis Vacceorum oppido, ad insignem amœnitatem illius gratiâ per Ferdinandum excullo, obscurissimum illa in angulo domus locum, undè nullius consilio extrahi ad sedem amœniorem poterat, sibi cooptarat: ubi, seu pietatis sensu, seu melancholiæ vitio, non nisi nuda humo, tabulisve strata somnum occupabat, & nec adversus frigora quidem inter brunnæ rigores suffultas pellibus vestes admittebat, triduique persæpè inediâ corpus macerabat, nec alijs nisi fistilibus vasis cibum apud se detentum putrescentemque solita accipere, inflexibilis, contra omnium preces, erga seipsam savitia. Ut Ximenius Regiæ vicem perdolens, Ferdinando Duca amœnioris ingenij cive, in consortium, custodiamque Regiæ, loco Ferrerij Valentini severioris animi direttore introducto, sensim ad humaniorem vitam usum, grato Caroli Regis obsequio, illam traduxerit: ut humanissimis ipse Ximeno literis Rex testatus est, pro illo quo tenerrimè parentem amore complectebatur. Et hæc matris Regiæ imbecillitas excitandis per regnum turbis idonea fuit. Ximenius tamen ad periculum omne submovendum pervigil, destinatum jam olim Regis Ferdinandi consilium executus, per singulas regni provincias, indigenam scribitalique militem jussit, qui ad Regis imperium expeditus, bellicâque instructus supellectile, præsto esset.*

*Carolus observantiam illi in honore regni præstare.*

*Joanna matris imbecillitas & vita afflicta. Gomec. in Ximeno l. 6. mihp. 194.*



*Militia  
scribenda,  
exercenda  
& confer-  
vanda  
facilis i-  
nitatio.*

*Au Chr.* Ad hanc rem, ut pronum sibi aditum, facilesque pararet subditos, non paucis militiæ onera immunitatibus levavit, à servitijs, vestigialiumque ac tributorum pensionibus, militaturos absolvit: tantâ omnium alacritate, ut non magno tempore ad triginta selectorum militum millia sacramento auctorata sint, quibus regiâ voluntate Tribuni Ducesque præfæsti, quot hebdomadibus consueta militiæ exercitia imperabant. Ita omni armorum genere, bellicisque muneribus, tanquam in Martis campo, insueta juvenus, non minùs adversus voluptates, quibus otiosa diffluit, quàm domesticos externosque hostes excolebatur. Prudens certè consilium, dignumque, quo plures regnorum suorum arma moderentur. Ita nullo, aut certè exiguo Reip. impendio, emolumento maximo, exercitum ad omne discrimen expeditum opponerent; exeras gentes prædæ magis, quàm defensionis regnorum intentas, patriâ arcerent: militem alerent, cui nullum in fuga præsidium, sed pro aris focusque domesticis, pro vita ac fortuna propria esset dimicandum: qui & virtutis suæ inter populares præmium, & vitiorum pœnam expectaret. Nunc ubi in militia scelerum libertas, & impunis rapiendi licentia quæritur; ubi nulla peregrino militi inter amicum hostemque distinctio: poteritne salus ab ejusmodi præsidij expectari, quæ non minùs ad opprimendos sine hoste subditos, quàm propulsandos adversarios excogitata videntur. Certè Turcarum imperium illo bellandi artificio hætenùs non modò defensum, sed auctum etiam est. Romanorum, hoc defectu, non tantùm ab hostibus externis labefactatum; sed internis propemodùm seditionibus laceratum, vix aliqua pristinae dignitatis vestigia in Germania retinet. Providendum tamen erit, ne dum eâ, quam laudamus, arte militiam instruis; alienos magis, quàm subditos armes. Nam si incertæ fidei homines, imperijque detrectantes, his belli subsidijs munias, gladium imprudens porrigit, quo tuum deindè jugulum appetant: quod Carolo inter ipsa regni auspicia propiùs opinione evenerat. *Sic in rebus quibusque maximis sua cum emolumentis pericula eminent, & regnorum, ut mercimoniorum, lucra ingentia damnis ingentibus vicina sunt.*

## XVIII.

*Carolus  
fidei cū  
Rege Gal-  
lia, & af-  
finitate  
cum Rege  
Hungaria  
ac Dania  
munitur.*

Morabatur etiamnum in Belgio Carolus, magnisque se se cū Principum, tum vicinorum Regum amicitijs munierat, postquam enim aetate ejus sæculi, ætatisque suæ quinto & decimo Belgicis provincijs inauguratus esset, ad Franciscum Valesium, recens dictum Gallorum Regem, legatos, & gratulandi, & federis innovandi causâ misit. In quod utrimque ijs legibus concessum est; ut clientelæ titulo, de Flandria Artesiaque Carolus Francisco sacramentum nuncuparet. Renata verò Regis Ludovici defuncti filia, sexennio nondum major, Carolo sponsa opportuno tempore fieret. Affinitatibus quoque alijs sibi Europæ Reges devinxit. Altera sororum Maria Ludovico Hungariæ Bohemiæque Regis filio tradita: altera Elizabetha Christierno II. Daniæ Regi copulata. Subindè vicinos sibi Principes aut benevolentia, aut federe conciliavit. Georgium Saxonum Principem ad eum in se liberalem expertus est, ut Frisiam ipsi defendendam, possidendamque ultrò detulerit: quam Etzardus ejus loci comes post annorum octodecim bella, variâ sorte gesta, clientis denique titulo obtinuit.



nuit. Joannem Juliae ac Cliviae Ducem, vicinam armorum potentiam metuendum: tum Marcanum Leodiensem Antistitem Gallorum magis ferro, quam proprijs armatum viribus, novis sibi pacis legibus demeruit. Ita prius regnum suum amicitijs, quam armis munire aggressus est, propugnaculo sane fortissimo, quo Spartani olim septi pro muro, hostium facile impetus declinabant. Sed Regem Galliarum Franciscum Carolo timendum fecerat, occupata recens Insubriae felicitas. Siquidem is regno Neapolitano animum adjecerat: ratus Carolum jam in aditu tot regnorum, ancipiti satis lubricaque fortunam consistentem, tanti hujus ditionis jacturam non facturum, ut secum inimicitias suscipiat ad Castellam, Aragoniam, Navarraeque turbendam possessionem forte valituras. Neque enim deerant, quibus, si his de regnis contendere placuisset, juris atque armorum causa longè accersenda viderentur, quae, & ingeniosa ad omnia cupiditati, & promptae ad capiendum potentiae raro desunt: Castellae regnum, aut jure affinitatis regiae admittere Lusitanum, aut legibus suis fretum, Reginaeque opibus immaturum sceptro Carolum excludere poterat.

Rex Gall.  
occupata  
Insubria,  
ad Nea-  
politani  
regnum  
aspirare  
bat.

Navarra sese in Ferdinandi potestatem venisse admirata, Hispanicis quidem armis obtinebatur; sed multis disceptantibus jure, an potentiam? Nam cum Johannes Albrecht Princeps hoc regnum, Catharinae Foxiae dotale, matrimoniali cum illa lege junctus, ad se transtulisset; Rex Galliae Ludovicus sibi illud, ex mascula Foxiorum stirpe descendenti, deberi contendit: certè obtinuit, ut Navarrae Gallicae sese coronae perpetuum contra Hispanum stipendiarium addiceret. Quod foedus, uti Ferdinandum graviter pupugit; ita Navarrae exitiale fuit. Cum enim eadem tempestate odia armaque in Pontificem Julium vertisset Ludovicus, & illum, & eidem faventem Joannem diris execratus fuerat, factam cuivis in regna fortunaesque illorum potestate, hac Ferdinandus, Romanarum id temporis partium (ut supra vidimus) fautor, strenuè usus, promptis ad hanc rem Anglorum subsidijs, Navarrae Regem, neque suo, neque Francico instructum milite, solo penè armorum terrore, regno expulit, anno post Christum natum CIDDII. quod irritò deinde labore Galli, aut sibi, aut pristino Regi vindicare sunt conati.

XIX.  
Ius quod  
in Navar-  
ra regni  
pretende-  
bat, &  
quo ex-  
cipere.

Porro Aragoniae possessionem nonnulli Ferdinandum armis magis, quam aequitate adijisse etiamnum murmurabant: quòd is feminam, antiquis legibus à regno seclusam, natus, alios masculae stirpis nepotes sola propinquitate antevertisset; exemplo avi Ferdinandi, pari jure Martino Aragonum Regi surrogati. Quae quamvis in regni comitijs lege nuper probata sancitaque essent, regia tamen plus autoritas, quam causa aequitas valuisse putabatur. Nam quid, aiebant, juris, remotis semel à sceptro seminis, posteritati illarum relictum sit? an nascendi conditione, amissa dignitas redire poterit, & alienam hereditatem parens liberis transmittere? Haec timere Carolus poterat, si alij illa, quam hostes controversissent. Quando enim Castellanis, inquebant amici, haec de re controversia extitit, quòd legitima soror puellam ambiguo thalamo natam praecederet? Cur Ecclesia rebellis regni jure per Pontificem translato non excidat, usurpato jam olim in Carolo Magno alijsque exemplo? Cur regni

XX.  
Arago-  
nia regni  
quo i-  
lo ad Fer-  
dinandū,  
ab eodem  
ad Caro-  
lum per-  
venit.



An. Chr. regni legibus existimetur à corona seclusus, ejusdem stirpis Princeps, ubi tantum semina ob ingenij morumque imbecillitatem, non ex feminis nati separantur?

XXI. Maluit tamen Carolus hostes suos minùs adversos experiri, donec primo regni aditu, varijs in quamvis partem affectionibus obnoxio, receptus esset: ne dum foris imperium quæreretur, domi amitteret: canisimilis Æsopico, qui cum umbram sectatur, amittit lucanicam. Actum igitur Pontificis Leonis operà, ut pacem ante arma admitterent. Quæ ijs denique legibus Novioduni anno hujus seculi decimo sexto inter Gallia Hispaniaque Reges constitit: *Ut Navarra regnum ad Ioannem Regem certâ temporum interpositâ morâ rediret; quod nisi presteretur, Gallis fas esset absque pacis violatione, arma Regi amico pro ejus restitutione sociare. Videlicet, si regnum jure sese reposcere (constitutis ad hoc arbitris) Ioannes ante docuisset. Ut deinde pax inter Casarem Maximilianum Venetosque constaret, Veronâ certis auri pensionibus ad illos redeunte: quod non levi existimationis sua iacturâ, Casar Caroli rebus indulset. Ut denique Carolus, non Ludovici, uti nuper convenerat; sed Francisci filiam, anno vix majorem cum regni Neapolitani dote Reginam haberet; illique, dum nubilus esset, educandæ sponsus quot annis auri libras mille impenderet, morientis vicem, aut alia Regis filia, aut si deesset, Renata Lutetia Carolo desponsata adiret, quæ si improlis moreretur, pars regni Neapolitani, veteri cum Rege Ferdinando pactione Gallis debita, armisque à Gonsalvo Magno occupata, Hispanis decederet.*

XXII. Quo ex principio Galli sui sum in regnum Neapolitanum derivent.

Cujus fœderis rationes, ut altius penetres, operæ pretium erit cognoscere, quo fonte hæc jura Galli deducant, cum à proavis longè repetitis titulis hinc Aragoniorum, ex Hispania: Andegavensium indè, ex Gallia, proceres hoc sibi extremum Italiae regnum multis ultrò citroque bellis postulaverint. Verustissimo jure Romanorum Pontificum clientelam agnoscit. Ex quibus Urbanus ejus nominis Quartus, postquam illud Manfredus Friderici II Imperatoris ex concubina natus, vi occupasset, Carolum Andegavensem D. Ludovici Regis fratrem Regem nuncupavit, anno partæ salutis CCCCXLIV. Qui coronam Pontificis favore, suisque paratam armis, tribus ex se Regibus, Carolo primo, alterique, ac denique nepoti Roberto transmisit: cui post vitam, masculâ prole extinctâ, neptis Joanna ex filio Carolo superfuit. Quæ cum morum obscenitate subditos ad sui odium, consanguineos ex Carolo proavo ad regni ambitionem concitasset: metu anxia Ludovicum Andegavensem, Caroli V. Galliarum Regis fratrem, cum exercitu ingenti in Italiam, sui defendendi gratiâ, traxit. Præmium armorum regnum post Joannam adeundum erat: sed spe suâ vitæque ex febris in Apulia defuturus, hunc, si quis est, regni titulum, cum provinciæ possessione Gallis reliquit. Regnum apud superiorum Regum nepotem Carolum Dyrrachinum, oppressâ per vim armorum Joannâ, relictum: ad ejus deindè filium Ladislaum, à Ladislao sine liberis defuncto, ad sororem Joannam alteram transijt: quæ, ut nomine, sic vitâ fortunisque par superiori, Ludovicum III. ex Gallia, Pontificis Martini V. consilij opibusque fretum, infestum habuit: cui avertendo, Alphonsum Aragoniæ, Siciliaeque Regem in regni jura defensionemque adoptatum opposuit. Sed, ut potentium seminarum magna est



est affectuum impotentia, citò accepta, præstitaque utrimque gratia offensionibus extincta est, atque ad hostem Ludovicum amor, sceptrumque adoptione translatum. Post quem tamen, cum superstes Joanna vixisset, regnum ad Alphonsum rediit, longâ bellorum contentione cum Renato Ludovici fratre susceptâ, quòd hic testamento, sed (ut fama erat) commentitio: ille adoptione jus sibi arrogaret. Ex hoc potissimum fonte longa manavit bellorum inter Aragonios Andegavosque series, oppositis inter se, pro temporum rerumque varietate Pontificum diplomatis, alita. Sed & Alphonsum sine legitimo hærede moriens, Ferdinando ex se furtim nato, regnum, fratris Joannis Aragonum Regis armis partum, testamento legavit. Parferè Renati fortuna, qui Carolo, ex fratre nepoti, suas cum jure spes opesque transmisit. Hic, easdem, improlis ad Ludovicum XI. Galliarum Regem (Andegavi Narbonæque ex masculæ prolis defectu, possessorem) transtulit. Undè ad filium Carolum VIII. Galliarum Regem jus devolutum: & cum vires non deessent, sed circumspectio, regnum pari facilitate, & partum, & amissum est. Postquam enim ex Ferdinando Alphonsum filius Neapolitanis imperaret, anno Christi MDCCCXCV. Carolus, Alexandro Pontifice cum Ludovico Sphortia invitante, Italiam magno exercitu ingressus, Neapolim subjectasque provincias sine sanguine occupavit: ubi Alphonsum suis ob crudelitatem exorsus, atque ad vitam solitariam versus, Ferdinando ex se nato, senioris nepoti, regnum commiserat. Sed hic unius nondum anni Rex, Carolo menstruo Regi futuro, tantisper cessit, dum subditorum favor in Gallos effusus, refraxisset; eâdemque facilitate, qua illos hospites admiserant, repellerent inimicos. Ita Ferdinandus redux, ac brevi sine herede mortuus, Fridericum patrum successorem, regni totius Pontificisque voluntate habuit. Qui cum hinc Ludovicum Gallum ex Carolo Regem; inde Ferdinandum Aragoniæ, suo quemque jure ad coronam aspirare cerneret, vectigalem sese Ludovico, jam Insubriâ recensposito, contra Ferdinandum subdidit: donec federibus inter se uterque Regum sociatus, Fridericum Alexandri Pontificis, aliorumque Principum ope destitutum, tanquam illegitimi heredis successorem regno exuunt, istaque inter se lege partiuntur, anno post natum Christum MDI. ut Hispanis Apuliæ & Calabriæ Ducatus; Gallis, cum Neapoli locisque alijs, regni titulus, Siciliæ impofterum nomine oblitterato, cederet. Suis quisque armis assignatam sibi partem vendicaverat; sed ut inter unius sponsæ Rivalet aut breves aut periculosæ sunt amicitia, lis de nonnullis urbibus exorta, utrorumque inter se Regum collisit exercitus, eo eventu, ut totum denique regnum sub Gonsalvi Magni auspicijs ad Ferdinandum Regem & Hispanos transiret. Illud penes Gallos jus relictum est; quòd dotis nomine Carolo V. à Rege Galliarum Francisco delatum meminimus.

Rebus igitur ad pacem utcumque per Europam compositis, Carolus ex amplexibus avi Maximiliani in Belgio ultimùm oblati, anno MDXV. i. properabat in Hispaniam, invitatus à Francisco Ximeno Cardinale, totius regni præcipuo gubernatore. Cujus fide atque integritate adversus frequentes Hispanorum

XXIII,  
Gome-  
ius l. 7.  
Lanu-  
zius l. 2.  
c. 6.  
Carolus

norum



An. Chr. in Hispaniam à Ximénio gubernatore evocatur. *Ferdinandus Caroli frater apud Hispanos in delicijs suis natus aulicus.* norum procerum oppugnationes, hæcenus inviolatum Carolo steterat. Tandem magis admirandâ fidelitate ; quod plerisque Belgarum in aula Caroli gravissimos adversarios ; paucos verò Hispanorum, magis in Ferdinandi inter suos educati partes propendentium, fideles amicos experiretur : nili quos, aut suâ virtute, aut beneficijs sibi devinxisset. Cum Gironijs Albanisque Principibus magna illi, ob seriam severamque mandatorum Regis executionem æmulatio, contentioque fuerat. Quin & Petri Nonnij Guzmani, & Alvari Oforij, aliorumque Ferdinandi Infantis aulam moderantium offensionem incurrerat ; ut cum hi Ximénium amotum cuperent ; ille contra, Caroli assensu fretus, omnes illos aulâ eiecerit, Ferdinando nequicquam, lacrymis propemodum minisque etiam demùm, obstantem ; quod fides se ministris per summam injuriam, ad se perendum illatam, spoliari quereretur. Alijs tamen, qui humanitate puerum delinirent substitutis, autor Carolo per literas fuit, ut specie humanitatis, & avivifendi obtentu, fratrem in Germaniam ablegaret ; ne impensus ille Hispanorum atque Aragoniorum imprimis favor Regi subtraheretur. Ad eò enim ob suavissimos mores illorum occupaverat animos, ut suas hunc Principem delicias appellarent, Ximénioque haud leviter offenderentur, quod illum ab Hispania abstractum, in Germaniam amandaturus crederetur. Quare cum occursurus Carolo Ximénius, quamvis afflicta jam valetudine, ad Castellæ fines pergeret, Ferdinando secum salutandi inter primos fratris gratiâ assumpto, invidiosè jactabant, adventum Regis fingi, ut Ferdinandus hac specie Hispanis eripiatur. Contra Belgæ dicebant in aula Caroli, Ximénium Ferdinandi sibi favorem adversus Carolum vendicare, ut hoc se nomine Regi etiam præster tuendum, ideoque vel maximè abstrahendum in Germaniam asserebant. Ad eò diversis invidia phantasmatibus tanquam coloribus iri pingitur, animisque mortalium illudit.

*Ximénius adversa valetudine confectus Carolo tamen obviam fertur multorum invidia expositus.* Hærebat Aquilæ Ximénius sub Medicorum cura. Unde cum fama manasset in Baticam, lethali illum morbo oppressum, ac veneni per viam præbiti existimatio accederet, ut seni spes nulla evadendi superesset, Maurosq; ipsos fama excitasset, repente Petrus Gironius, & hi in arma coorti, tanquam pastore submoto lupi gregem invadunt. At ubi Ximénium, quæ erat animi consiliorumque promptitudine, defensores sibi mox objicere militem sentiunt, Carolumque mox ad fore ultorem intelligunt, primo hic ardor impetu resedit, majori finitus, quam auspiciatus consilio.

*Carolus Hispaniâ classe subit.* Interea Carolus festinatâ profectioe spectabat Hispaniam, ad eò, ut importunâ tempestate anni, primo idus Sept. invitis plerisque aulicorum è Belgio classem solveret, quâ ventis impellentibus, unaque navium incendio cum vecto-ribus absumptâ, quinto cal. Octob. Hispaniam quidem, sed iniquam montibus & sterilitate regionem Asturum, sive Biscaiam, contigit. Ubi pro inimico primùm, deinde ut amicus Rex magno exceptus honore, Villaviciosa deductus est, cum Eleonora sorore, Emanuelis deinde Lusitanorum, ac post Francisci Galliarum Regis conjuge, Ximénius re cognitâ, tantoperè ex morbo recreatus



creatus est, ut IV. Octobr. festo D. Francisci sacris operatus, mensæ Patrum Franciscanorum (quos ut sui ordinis viros secum ducebat) accubuerit, literasque Carolo dedit, quibus itineris rationem, tractandique Hispanos artem tradebat, monebatque ut vitatis Hispanorum Principum congressibus tractatusque, ex se prius reip. constitutionem ærarijque vim cognosceret. Sed Belgarum proceribus, quibus plerisque ingratus ille Ximenij congressus erat, quòd de se amovendis consilia agitare cognovissent, ne Hispanorum procerum invidiâ Carolus primo regni ingressu gravaretur; omni studio Carolum à Ximénio abstraherent, spe per Medicos conceptâ, fore, ut morbi violentiæ brevi succumberet; aut certè, ut exautorationem Ximenij, tum ob valetudinem inhabilis, tum ob ipsius Regis præsentiam supervacui persuaderent. Et hoc denique nec ipsis quidem regni Senatoribus Ximenij severitatem probantibus, Motâ Pacis Augustano Episcopo persuasore, obtinuerunt. Undè Carolus cum Turdesillas ad salutandam matrem iter institueret, literas ad Ximénium dedit, quibus suum illi iter, officiumque Reginae matri præstandum significat, simulque jubet ad Moiadis, Antistitis Segoviensis oppidum, occurrere, ut communicatis de Rep. consilijs, suæ deindè queri possit consulere, postquam sat laborum molestiarumque pro regno exhaustisset, liberalius à cælo, quàm mortalibus præmium recepturus. Quibus perlatis Roam, ubi tunc morabatur, sensit æmulorum sese artibus pressum, post tam fidelem Regi præstitam operam, abjici, auctaque febris malignitate, non multis horis superfuit, quas excellenti pietate animique in Deum erecti fiduciâ, non sine præsentium lacrimis consumpsit, fide erga Deum hominesque constantissimâ; sed illâ multò, quàm hac felicior, quod insigni vanitatis aulicæ argumento, nullum hujus, nisi repulsæ denique indignissimæ præmium referret; illius immortalē apud Superos gloriam, prodigiosis etiam à morte eventibus præstiti de cælo auxiliij cognitam, ob quam Academia Complutensis illius liberalitate fundata, de eodem in numerum Sanctorum referendo supplices ad Urbanum VIII. Pont. literas dedit, cui diversa Canonicalium Collegiorum suffragia accessere, ut spectatissimæ, in omni penè vitæ ordine, hominis virtuti dignus honor impenderetur.

Ille etenim (cujus res gestas octo libris Gomecius haud ignobilis historiae scriptor complexus est) Cisteris Legionis oppido, honestâ familiâ, ex qua nonnulli equestri dignitate ornati fuere, editus, post Ecclesiastici ordinis studia cultumque, ad D. Francisci transgressus familiam, ut securiori salutis viæ insisteret, postquam istic Provincialis Rectoris munus cum laude obiret, Isabellæ Reginae conjugij Ferdinandi commendatus, à confessionibus eidem esse cœperat, quando Toletano vacante Archiepiscopatu, ad illum quantumvis invitatus pertractus est. Quem cum ex mandato Pontificis digno regni primatè, aulæ vestiumque splendore administrare cogeretur, ne vili habitu venerationi officeret; tamen interiorem D. Francisci amictum nunquam deposuit, frugalique illorum viætu, cum posset acquievit. A Julio II. Pont. anno MDVII. amplissimo Cardinalium Rom. senatui adscriptus, à Ferdinando Rege Catholico morituro gu-

1517.

Consilij  
profectio-  
nis à Xi-  
menio  
datis Bel-  
ga obsi-  
stunt.

Ximénius  
indignè à  
guberna-  
tione reo-  
jicitur.

Insigni fi-  
dei vir-  
tutisq;  
laude mor-  
itur.

Ximenij  
ortus pro-  
gressusq;  
per di-  
versos  
vita stæ-  
tus.



An Chr. l. ervationi Hispaniarum præfectus, probatusque à Carolo, non solum de Rep. sed Ecclesia ejus regni universa optimè meritis; ut cum illo novum quoddam occidenti sidus natum esse videatur. Hebraicæ linguæ amore, qua sacra nos accepisse literas non ignorabat, operam dedit, ut S. Scriptura Orientalibus Romanaque linguâ quàm cultissimè correctissimeque vulgaretur. Multa ad Ecclesiam religiosamque disciplinam instaurandam molitus, nobilissimæ Complutensium Academia ad literarum studia promovenda conditor, liberalitate in pauperes profusus, in Ecclesiasticis beneficijs tribuendis circumspectus, quæ difficilius postulantis largiri solitus, non petentibus, ceu dignioribus, facilius deferebat. Justitiæ severus administer, Theologo uno, ac Jurisperito altero speculatoribus uti solitus, qui in suo quisque foro sedulo per regiones vestigarent, nunquid alicubi ageretur perperam? Viduisque, in primis, ac puellis destitutis prospectum ibat. Multa largitus in pauperes, multa tamen moriens in thesauris reliquit, opum in se suosque minimè prodigus. Quingenta memorant aureorum millia, præter argenteam supellectilem relicta. Cadaver Complutum delatum fuit, honorificaque illic sepulturâ conditum, aliorum mœrore, aliorum gaudio: ut in magnis, præsertim Ecclesiasticorum Præsulum funeribus affolet, quorum alij vitâ, alij morte gaudent ac fruuntur. Alphonſus Aragonius Catholici Regis spurius re cognitâ, Turdesillas properavit, ut salutato Rege Carolo Toletanæ Ecclesiæ præficeretur; sed jam Guillelmus Croyius Cheura Dominus, qui omnia apud Carolum poterat, pro Guillelmo nepote illum erat affecutus, Aragonius, nisi Vallisoleti, ad colloquium admissus non fuit. Venit eò Carolus principio anni subsequenti, qui seculi erat XVIII. cum matre Regina, Ferdinando fratre ac sorore Eleonorâ, exceptusque ingenti procerum concursu, applausuque, & in Basilicam D. Pauli traductus, ritu Majorum cum Ioanna matre folio regali imponitur, coronaque ac sceptro donatur, ut pari cum parente jure filius regnaret, quanquam præter Reginæ titulum vix quicquam matri delatum sit, nisi ut Regis procerumque decreta, subscriptione pari, umbratili dignitate firmaret.

*Archiepiscopus operatus illius Guillelmo Croyio datur. Vallisoleti coronatur cum matre Carolo. Epulae equestris certamina, Francisc. Hareus in Annal. Ducum Brabant. In his eminere super omnes visus Carolus magnam sui astantionem collegit.*

Coronationis solennia instructæ aliquot dierum exceperunt epulæ, ludique atque equestria bellantium simulacra. In quibus Bureni ac Zanzelli Belgarum proceres antesignani, biduo cum Hispanis Belgisque ex provocatione mutua egregie decertarunt. Tertio demùm die ipse Rex Carolus jam firmati corporis roborisque adolescens, cum præcipuo ceterorum triumphatore Zanzelio, regali armaturâ cinctus, in arena congressus, tantâ peritiâ ac fortitudine decertavit, ut frustrato nunquam istu proprio, adversarij plerosque deluserit. Quater concursus est, primâ lanceæ in cassidem vibratione plumas capitis tanquam alas victoriæ sustulit: altero in sinistrum pectoris latus detorto idu, lanceâ (quod palmarium habent) in varias diminutâ partes abscellit: tertio impetu bipennis in casside retorta cladem accepit: ultimâ, eaque gravissimo utrimque robore concursione factâ, altera Regis lancea, excepta Zanzelij circulari clypeo, novo victoriæ argumento, media dissilijt, vires artemque, quibus

ejus-



eiusmodi certaminis successum metiuntur, egregiè testata. Nemo erat paulò sagacior, qui ad seria Principis studia animum non adverteret, ac tam præclaris incipijs futurarum rerum momenta non ponderaret. Ingenium facile, prompta solertia, ingens animus in vultum actionesque sese effundebant; ut cum supra ætatem expectationemque eminerent omnia, vel ab invitis suæque gentis amantibus Hispanis, favorem extorquerent. Verùm egregius Rex, qui suâ se in æole virtuteque abundè probabat, aliorum ex aula procerum suâ illum cupiditate regentium, potentiâ invidiaque offendebat.

Duo in hoc æstu animorum eminebant offensionis scopuli, Nimia aulicorum Belgarum & frequentia, & potestas; tum Ferdinandi fratris, quem Hispani amplexabantur, apud Germanos, ut credebant, neglectus. Et prioris quidem argumentum nuper datum luculentissimum, quando contempto Hispanorum & Ferdinandi quidem regio Principe, licet ex matre impari, Alphonso laudatissimo Præsule, Tholesanus Archiepiscopus, præcipua regni dignitas, post tantum, quantus erat Ximenius, Antistitem, in adolescentem exterumque Croyi nepotem; ut si indigenæ maturique ætate & sapientiâ viri Castellanis deessent, non sine gentis dignitatisque tam sublimis opprobrio temerè erat translatus: magisque urebat, quod ab illo hoc factum homine, qui plerorumque jam flagrabat Hispanorum invidiâ, quemque iccirco Ferdinandus Catholicus, in Caroli regnaturi institutione, ab aula submovendum esse decreverat; sed qui & has, & alias solo Regis amore fretus leges perfringeret. Verùm uterque Croyiorum & patruus, & nepos haud multò post in Germania extinctus, hæc secum odia sustulit. Attamen Carolus hoc minus consulto in populares favore animadvertit, parum abesse, quin totius regni ad hunc scopulum adiret naufragium. Quæ, experienciâ denique factus cautior, pericula declinavit. Nempè Regibus non minus vigilandum est, ut pernoscant, à quibus & qua virtute consilioque regantur; quàm quos cuiusque ingenij homines regant: neque enim recta consilia dare poterit, qui non admittit.

Alter offensionis scopulus Ferdinandi fratris neglectus erat; cuius quantò apud Hispanos ob suavissimam indolem, & suæ, ut interpretabantur, gentis puerum, amor erat excellentior, tantò frigere is in Carolum magis videbatur; quòd utrumque hunc solem idem capere cælum non posset. Quare auferendum hunc sibi ex oculis quamprimùm dolebant. Et Croyius, ut hoc ipsum Ferdinando desiderium ingereret, ad serviendum quandoque Carolo impellebat. Nam accumbenti ad mensam, inter ministros adsistere iussit, & lauturo aquam manibus affundere; ut Carolus pij obsequentisque fratris ingenium miratus, indoluisse feratur, quod ad illa se officia demitteret, adeoque ipse de eodem quantocys separando consilia admiserit, comite Burano Croyi æmulo, præcipuoque aulæ suæ principe in præfecturam aulæ Ferdinandæ adjuncto. Properati autem discessus causa, Maximiliani avi Imperatoris erga nepotem desiderium, seniumque in mortem inclinatum, & puero, & Hispanis proceribus expositum, non iniqua plerisque visa est, quæ audiretur. Utque Hispanis tantò hic abitus toleran-

Gomec.  
de vera.  
sup. cit.  
XXIV.  
Dn. offe.  
sionis a-  
pud Hi-  
spanos  
scopuli.

Tholesanū  
Archiepiscopatu  
in exter-  
ni trans-  
ferr. Hi-  
spani in-  
dignatur.

Ferdinā-  
dum Regis  
fratrem  
contemni  
dolent.

Ferdinā-  
dus dispo-  
nitur ad  
discessum  
in Ger-  
maniam.



An. Chr. tior fieret, multi Belgarum procerum unà cum eodem remissi sunt, accessusq; ad Caroli aulam indigenis præbirus. Ita quod in teatro peritissimi chiregorum solent, ostentandæ artis gratiâ, manu altera vulnus infligere, altera remedium exhibere visus est.

*Adarū  
Maximi-  
lianum  
haud  
multo post  
agrū  
transit.  
Cuspini,  
in vita.  
Maximi-  
liani Cæ-  
saris pius  
ab hac  
vita exi-  
it.*

Et sanè non absque divini Numinis providentia felici navigatione delatus in Germaniam Ferdinandus, haud multo tempore superstitem avum primùm ultimumque visurus convenit. Is in Augustanis Germanorum comitijs de nascente Lutheranorum hæresi in semine opprimenda, belloque Turcis nimium invalescentibus inferendo consilia agitans, à Leone X. Pont. per Cardinalem de Vio legatum, galeâ atque ense, Pontificiâ benedictione sacratis, donatus, haud multo post ægrescere, atque ad mortem demùm cœpit magnis passibus contendere, quam anni MDXIX exordio, ipsis Januarij idibus, magno pietatis sensu occupavit. Hanc priusquam corpore admitteret, sarcophago sibi quinquennio, quacunque incederet, prælato, longâ animi meditatione complexus fuerat. Eaque virtutis sapientiæque laude imperium multis annis administrat, quâ Imperatorem, qui & alios, & seipsum moderari rectè posset, decebat. Sacerdotes eâ veneratione excipere solitus, ut nullum ante se stare pateretur. Blasphemantium, atque ebriosorum hominum acerrimus persecutor. Pater afflictorum pauperumque, quibus moriens decem facilè xenodochia suis impensis donationibusque instructa reliquit. Morituro sibi vetuit impendi lacrymas, quòd mortalis ad immortalitatem lege communi transiret, dolores extremùm suos passionis Domini prælestæ memoriâ solatus. Quo moriente, quis æquo sustinere mortem animo recuset?

XXV.

*Carolus  
cum Ha-  
driano iâ  
Cardina-  
le regnū  
Hispania  
disponit,  
fidemq; à  
subditis  
exigit.  
Contra  
Mauros  
nobili vi-  
ctoriâ po-  
titur.  
Surius in  
Com.  
Oder.  
R y al.  
in An.  
15 18. &  
seq.  
Belcar.  
1. 16.  
Fram. isci*

Nec otiosus intereà Carolus in Hispania, ut Hadriani major esset apud Hispanos authoritas, per Maximilianum Cardinalitium illi pileum à Leone obtinuerat, perque urbes regni cum Castellani cum Aragonij profectus, fidelitatis ad ipsdē iuramentum excepit; compositis jam plerisque, quæ ex Ferdinandi morte in Sicilia nata erant, per novum gubernatorem submissum controversijs. Quin & Mauri ad Oranum rursus occupandum, quòd Ximenius felici quondam expeditione his ademerat, collecti, insignem sub Caroli Regis auspicijs cladem accepere. Siquidem Horrucus Barbarossa ex nobili Pirata Rex Algerij ac Tremelinij effectus, in hujus loci expugnatione XLIV. millia suorum amisit, cuius victoriæ monumentum, vexilla hostilia rari pretij gemina, ad Maximilianum Cæsarem Carolus submisit, Horrucci caput hastæ infixum per Hispaniam ad spectaculum circumlatum est. Cui Aradinus frater in Africa successit: adversus quem cum annò sequenti Hugonem Moncadam ex Sicilia cum exercitu ac classe ad expugnandum Algerium destinasset, morâ vincendi occasio perijt, classisque tempestate incumbente disjecta, vix tutum in Ebusum Insulam Moncadæ receptum fecit. Undè tamen instaurato milite in Gerbarum Regulum duxit, victumque atroci prælio vestigalem Hispanis, annuo XXIV. millium aureorum vestigali subjecit. Quin & Franciscus Galliarum Rex, ne quid minus Carolo adversus Mahometanos Italiæ litora infestantes ausurus videretur, su-  
umque



umque Pontifici Germanisque probaret ad Turcarum potentiam infringendam studium, classem in eisdem sub Petri Navarra imperio designavit. Qui cum nupte Maximilianus in Comitibus Augustanis Cæsar de suggerendo sibi in dignitate Imperatoria Carolo nepote Germaniæ proceres sollicitasset, occultis a-pertisque consilijs obnitus, spem sui magnam, si ad hanc coronam admitteretur, adversus Turcam hostesque omnes Romani imperij faciebat, obtinuitque tunc facile à Septemviris (sua hanc electionem libertati vendicantibus, ne quæ demum familia in successionis jus veniat) ut preces consiliaque Maximiliani de Carolo rejecta fuerint. Indè tamen æmulatione, rivalitatisque quibusdam veluti studijs inflammatis, in Carolum Franciscus, in Franciscum ferri Carolus, & recrudescens priscæ cum Hispanis simultatis cicatricibus, munire adversus alterum sese alter, non levi Europæ totius, quæ secuta est, conturbatione, hæresumque ac Turcarum incremento cœpit. Cuiusque Maximiliani jam Cæsaris mors vulgata sollicitos de futuro Imperatore Germanorum proceres, ipsumque adeò Pontificem ob imminenti Europæ mala distineret, neque alius penè ad sustinendam imperij molem, præter duos potentissimos Reges, Carolum ac Franciscum idoneus occurreret, nec uterque hac sibi indignus majestate videretur, Romanas hic atque iste aquilas certatim prensabat. Franciscus recentes per Italiam victoriæ, regnum opulentum, & promptæ largitionibus opes, Pontificis Leonis favor, tum probatum non paucis Regis ingenium spes ingentes fecerant. Pontificem, Venetosque suarum habebat partium, persuasos, nullâ facilius arte virtuteque reprimendos Turcas, in quos Franciscus junctas regni imperijque vires polliceretur, quâ sanè armorum conspiratione nihil visum est per Europam potentius: siquidem florentissimum à Majoribus acceperat Galliarum regnum, quod Anglis Normanniâ, vicinisque regionibus; Belgarum populis Burgundiâ eiecit; Cisalpinâ Galliâ per Insubriam explicatâ, tanto sensim excreverat robore, ut cetera Europæ regna facile excelleret. Mole suâ timendum magis reliquis, quàm (quod grandium sæpè corporum est vitium) grave sibi: cum regni illius membra, velut communi Regis animata spiritu, ab uno capite motus omnis quietisque principium ducerent; adeoque collectas ad ingentem potentiam vires possiderent. Principum juxtâ ac subditorum opes, regiæ essent. Vita etiam in obsequio, libertas in servitute: siue necessitas hanc illis parendi legem imposuerit, siue voluntas; seu denique utrumque, quod ingentibus, modò amoris, modò timoris affectibus, hæc gens Regibus obnoxia teneatur. Huic igitur regno, tam firmis potentiæ adminiculis nixo, si imperij Romani potestas adjuncta esset, haud difficilis futura erat Italiæ totius (quamvis id nollent incolæ) accessio. Ita denique ad pristinam gloriam imperium, per se Franciscus, velut post fata, excitandum sperabat; ut non Romanum tantum nomen; sed & sedem rursus capesseret. Nimirum, uti illa Turcæ avertendi spes Pontificem Franciscus inclinaverat: ita non mediociter hæc postrema cogitatio retardabat. Quanquam essent qui prioris illum etiam expectationis eventu fraudandum existimarent. Quantum enim Franciscus Imperato-

1519.  
Galliarum  
Regis a  
mulario  
cum. Car  
olo ju-  
scpta, di  
userq; Ro-  
mani im-  
perij fa-  
ces pren-  
sat.

Frcherus  
tom. 3.  
rerum  
Germ.  
epistolæ  
Princ.  
vol. 1.  
Jovius  
Belcar.  
Guicci-  
ard.  
Schle da-  
nus, &c.  
Quid  
Franci-  
scus ad  
hanc di-  
gnitatem  
momenti  
assulerit,  
quid obe-  
siterit  
eisdem



An. Chr. ratorinatum domi negotii fuisset ad imperii res legesque, cum Gallico sceptro conjungendas? ad septemviralem, sibi vel conciliandam, vel infringendam potentiam? ad circumscribendam Germanorum libertatem? nisi per levi momento à Gallis rursùm ad Germanos coronam transire voluisset. Hic verò quantæ molis labor! Erat jam magnis adulta viribus infringenda Austriacorum potentia, quibus non pauci ex Germania, Italia, Hispaniaque fidem opemque debebant. Hic iterum quanta cum negotio pericula! live hæc obscurius prospiceret Pontifex, live non minora ex Caroli electione præsentiret incommoda, Francisco imprimis operam dedit, per legatos regijs partibus addictos, literas tamen ad septem viros eâ dedit moderatione, ut magis officij quemque sui admoneret, quam privatæ benevolentia.

XXVI. Ad Electorem Fridericum comitem Palatinum etiamnum orthodoxum hoc argumento scripsit. Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Mors optimi Imperatoris Maximiliani, ut justum mihi ex tanti Principis jactura dolorem, ita curam non mediocrem rerum futurarum inijcit. Intelligo enim quantum Christiana Respublica presidium amisit, & quàm ambiguus eventibus aliorum successio Imperatorum obnoxia sit. Maximilianus certè in hac rerum tempestate immaturo nobis fato ereptus est. Quaquam cur queror, aut in video, si eximia nunc demum pietatis ac clementia fructum ex morte colligit? hoc potiùs apud te, nobilissime Princeps, summo, quo possum, studio contendo; ut omnem curam diligentiamque ad hujusmodi Imperatoris electionem conferas, qui alterius virtutes, aut emuletur, aut superet. Non est quidem, cur de singulari tua, tuorumque collegarum pietate ac prudentia dubitem, nec cur subministrem consilia viris sapientibus. Sunt tamen, qua me impellunt, exorta per Germaniam religionis discrimina, quibus averrendis æquum est omni me studio advigilare. Stat certe in præcipiti, ac loco planè lubrico fides. Hostes illic neque potentiores, neque atrociores unquam sustinuit: nisi vigilantia ac fide vestra, nisi sapientia, ac religione occurratur, actum est, triumphabit in ista pietatis antiqua sede improbitas. Nunquam post Christiana Reip. per Germaniam nomen majus cervicibus nostris periculum incubuit, graviorque in Principibus viris cura religionis desiderata est. Quocirca ille nunc vobis Imperator deligendus est, qui tam insidiosa potenti que machinationi & occurrere possit, & velit. Perijstis, si hac in re vigilantiam amittitis. Nec imperij vestri dignitas, nec salus diu consistere poterit; nisi gliſcentem in fomite seditio-nem pius fortisque Imperator oppræsserit. Sed & illa Turcarum immanitas Europe imminens, qualem, quantumque virum desiderat! Vestra hac res est, viri Principes, vestris modò in manibus totius Europe incolumitas vertitur. Si erratis, non tantùm existimationis, verum etiam salutis discrimen adibitis. Statis in theatro, aut gloria, aut ignominia vestra, ubi orbis totius oculi consilia actionesque omnium arbitrantur. Videte, ne quid perperam. Quaquam de tua mihi sapientia constantiaque pollicear, fore ut voti ac desiderij nostri, quod cum publica utilitate conjunctum est, rationem habeat, audiatque illa de re Thomam S. Sixti presbyterum Cardinalem legatum nostrum. Roma, Anno MDXIX.

XXVII. Diversas tamen ab his ad Helvetios transmittit, quibus illos Francisco conjungere ad ordinum imperij favorem occupandum cupiebat. Sed hi Germanicæ originis homines tantùm ad Gallos honorem pertingere æquo animo non fere

XXVI.

Leo Pontifex Friderico electionem commendat, qua Ecclesia orthodoxa fidei recte consulatur.

XXVII.

Helvetiis eadem Pontifex in



ferebant, & amicos habere illos maluerunt, quam tantam potentiam metuendos. Nec Pontifex tam obtinendi spe, quam gratificandi ostentatione id Francisco praeferre voluisse est visus: cum imperare hunc nollet, cuius jam tum crescentem formidabat in Italia potentiam, effecturum utique, ut non tam diceretur Rex Rom. cum Germanis, quam esset.

Interea sibi Rex Galliae suis ipse officiis, & comparanda Principum benevolentia minimè deerat, alioque obsequiis, alios promissis ac liberalitate sibi conciliabat. Carolum per legatos monuit: *Ne injuria loco haberet, si ejusdem coronae ambitione teneretur alius, qui ejusdem puella pro eum a quo ante non ferre cogeretur.* Cui ita respondit Carolus, ut moneret: *Appetenda non esse, quae alieni juris extra spem exteri Principis posita essent. Sine injuria Austriacos à postulatione excludi non posse, qui imperium sine injuria hactenus administrassent.* Haec deterrere Franciscum non poterant, qui Treviricum jam Antistitem in suas traduxerat partes manifestis obsequiis. Brandenburgicus etiam Marchio Franciscum colebat; sed amicitiam tectiori. Hic, ut fratrem Moguntinum Septemvirorum in comitijs antesignanum ad suum propositum inflecteret, studiosè allaborabat, quorum auctoritati Bohemiae Regis suffragia accessura credebantur. Sed plerique Germanorum tanto Gallum averfabantur studio, quanto libertatem suam amore protequebantur; cui una cum alienigena Imperatore compedes injici credebant. Quocirca armis sese contra eorum vim instruebant. Neque segnis rerum suarum Franciscus, ferreis non minùs, quam argenteis hastis pugnaturus erat, si res armis discernenda fuisset.

XXVIII.  
Franciscus  
sibi minime  
deerat, &  
Treviricum  
sem ac  
Brandenburgicum  
favores  
habebat.

Præoccupavit tamen ipsius diligentiam Carolus, submissumque ex Belgio militem haud procul Francofurtum jussit consistere, tanquam vim omnem adversariorum ab Electoribus submoturum, quæ res inclinatis Carolo amicis audaciam, Francisci contra Fautoribus eum injecit metum, ut Brandenburgi Princeps promissum Gallo favorem intra tacitum conscientiae sensum premeret, non ausus professione studiorum suarum in se gentis odia, non profuturo suffragio provocare.

XXIX.  
Carolus  
submisso  
militem  
suis fau-  
toribus  
animos  
addidit,  
Brandenburgico  
ademit.

Indixerat ejus frater Albertus Moguntinus Septemvir Francofurtum comitia, quod illi, Imperatore sublato, id muneris ex more demandatum esset. Adfuere Electores omnes. Hadrianus comes de Weda, Ubiorum: Richardus, Trevirum Antistes: Ludovicus, comes Palatinus, ac Dux Boiorum; Fridericus, Dux Saxonum; Ioachimus, Brandenburgi Marchio. Ludovici Bohemiae Regis personam legatione obiit Lassa Sternenbergæ Dominus. Hi Principes ante XVI. calend. Julias anno hujus sæculi XIX. in æde D. Bartholomæi, electorali insignes trabea, post imploratum sacrificio solenni Numinis favorem, omnes fidem dederunt: nihil sacris imperij legibus, quas aurea Bulla complectitur, abs se derogatum iri. Majorum instituta inviolata, sanctaque omnibus futura. Quæ, ne religio deesset, ad aram sacramento firmata sunt. Ab ara ad sacrarium basilicæ, recepto veterum more electioni destinatum, itur. Ubi ad circumfusos Septemviros Moguntinus Princeps de consensione virorum Prin-

XXX.  
Electores  
comitia  
Francofurti  
instituta,  
ambiguis  
sententijs  
certant.



An. Chr. cipum ad imperij dignitatem tuendam recteque transferendam necessaria luculenter disseruit.

XXXI.  
Præfatio  
Electoris  
Mogun-  
tini.

, Gravissima, inquit, ac difficillima res in præsentem deliberationem vocatur. Majestas ex illa imperij nostri, salus atque incolumitas publica, Ecclesiæ Romanæ tranquillitas, nomen ac gloria nationis Germanicæ, fides denique atque existimatio nostra dependet, Principes. Confluximus huc omnes eâ mente, ut Romana Resp. supremo in Germania orbata Imperatore dignum caput acciperet voluntate ac sententijs nostris. Tantum autoritati, fidei, virtutique nostræ commissum videmus, quantum est non solum Germaniæ, sed Europæ, propemodum universæ Imperatorem dare; quantum est Germaniæ multis afflictæ bellis & sævissimæ Turcarum tyrannidi expositæ defensorem constituere, cui neque ratio ad gubernandum desit, neque facultas. Nisi ad tantum munus præter singularem prudentiam, animique æquitatem, concordiam afferamus, actum erit de incolumitate ac dignitate imperij nostri. Equidem sapientiam humanam tam arduo negotio imparem esse agnosco. Sed in his curis illa, me cogitatio potissimum erigit, quod cum imperia divinitus constituta intelligam, Regesque alijs Deo moderante nasci; alijs, nec sine Numine eligi videam; nequaquam dubitem, eundem collegij nostri suffragia ac rationes moderaturum, si illam, quæ in nobis est, diligentiam ac legum nostrarum observantiam; si fidem Deo atque imperio debitam, si æquitatem, si consensionem ad hoc orbisterrarum consilium attulerimus. Lætor sanè illa in vobis reperiri omnia, quæ tantum ornare senatum possunt, magnam ab usu rerum experientiam, exploratam in Remp. fidem, in Deum pietatem; illud etiam publicæ tranquillitatis studium, quo adducti sine mora & cunctatione huc omnes tempori advenistis, quo ad aram vos patrijs legibus, tuendæque concordie sacramento adstrinxistis, vehementer laudo proboque. His ut porro vestigijs cœpto operi ad finem deducendo insistatis, autor vobis hodie esse volui, quanquam me etiam, tacente, exempla turbata in his comitijs concordie suâ vos clade ab omni, dissensionis studio debeant amovere. Divino certè consilio Othonis III. Septemvirale hoc collegium inventum fuit, summique Pontificis autoritate confirmatum, cujus in primis collegij sapientiâ ac fide imperij Romani decus fluxum alioquin, multisq; cladibus deforme, apud solâ Germanorum gentem annis quingentis inconcussum perstitit, immortalis nominis nostri gloriâ. Huic tamen si quam aliquando Majores labem asperserunt, dissensione Principum in, diversas de imperio transferendo opiniones abeuntium, factum præcipuè est. Quàm luculentam sub Henrico IV. ex Germanorum Principum contentione, plagam accepit imperium! Quàm illa Conradi Suevi, & Lotharij Saxonis suffragiorum diversitate excitata dissensio: illa etiam Philippi atque Othonis, quarti de regno concertatio Germaniæ luctuosa fuit! Illius verò annui & semestris interregni, quo post Friderici II. & Henrici Thuringi funestam æmulationem Richardus Britanni Regis filius quorundam Principum factione evocatus ad imperium fuit, quis sine indignatione meminisse potest? Cùmque

, absque



absque nativo capite tanquam utiles regno viros non ferret imperium, vilescere cœpimus, Italicisque passim urbibus defectione abscedentibus indigni visum sumus, qui imperaremus. Omitto calamitatem illam, quam Ludovico Bavaro & Friderico Aultriaco debet hæc patria, cum Hungarorum Bohemorumque armis in partem contentionis adductis duorum hominum ambitionem multo sanguine expiaret, alienum rursus ex Anglia Regem Eduardum accerferet: qui nisi ad purpuram acceptandam, quam alij ad deferendam fuisset tardior, illam hætenus non obtineret Germania gloriam, quam dignitate Romani imperij penes suæ gentis homines relicta possedit. Aliarum jam illa gentium cupiditati serviret, his suas cumularet opes, honorem venderet, libertatem transcriberet. Illa populorum Domina, quæ nec Romanorum illud jugum ferre diu potuit, quod orbis penè universus subjectâ cervice sustinebat, jam impari sibi nationi ac Domino spem, arbitria, obsequia, dignitatem impenderet. Vestrum erit suis ista ponderare rationibus, judicio atque æquitate decernere, ne quæ Germanico nomini labe atque ignominia adhærescat, nec ita semel imperium tribuat, ut deindè concedere ampliùs non possit. Illud postremùm moneo, tantò ex nostra dissensione (quam Superi avertant) graviora Remp. hanc acceptura vulnera, quantò acerbioribus inimicis hoc tempore objecta est. Si quid ex intestinis patriæ seditionibus Turcarum potentia atque immanitati accessit virium, multò nunc maximè futurum est, cum fractis jam convulsisque Europæ repagulis, omnium cervicibus propiùs imminet, ac nihil magis in imperio averfatur, quàm pacem consensionemque nostram. Quocirca agite, ô Principes, summâ constantiâ, fide ac conspiratione animorum, absolvenda res tanta est, quæ non populi unius, sed Europæ totius incolumitatem complectitur. In vos, tanquam in orbis teatro, ad ingentem spem metumque propositos, omnium ora vultusque populorum converfi sunt. Nos Regum ac Principum oculi intuentur, nos de suis etiam sepulchris Majores observant, ut non modò de Imperatore; sed & prudentia ac gravitate nostra judicium ferant. Nos denique, quod apud pios sapientesque viros maximè valere debet, Superi de cœlo contemplantur, Deus ipse nostrarum actionum assistit arbiter, qui instituta ad pacis defensionem imperia, cum nostræ per Germaniam cura tradiderit, seditionem omnem ab his capitibus in vulgus derivatam, tantò graviùs castigabit, quantò indigniùs est à tranquillitatis publicæ administris tranquillitatem perturbari. Hæc Moguntini Principis oratio promptis auribus animisque excepta, tantum ad persuasionem momenti attulit, ut factâ secessione à loco concilij Principes summo quisque studio id se acturum polliceretur, ne suffragatione suâ pertinaciter discreparet. Quæ cum omnium deindè nomine disertissimus facile Principum Joachimus Marchio Brandenburgicus ad fratrem publicè retulisset, suffragandi deliberatio in sequentem diem rejecta est.

Interea Caroli Regis legati Moguntiam, Francisci Confluentiam attigerunt, utriusque diversis argumentis pro suo quisque Rege apud Septemviro contentabant. Illiavorum, præsertim Maximiliani, merita ac postremam voluntatem

XXXII.

Caroli &  
Francisci  
Regum



An. Chr.  
legati  
advenit  
& literis  
Electorum  
le comi  
suum pro  
suo quicq;  
Rege cõ-  
pellant.

XXXIII.  
Abertus  
Mounti  
nus Ele-  
ctor pro  
Carolo  
dissert.

tem, magnanimi Regis spem atque indolem, Germanici sanguinis originem proponerent. Hi pulcherrimam Galliarum Germaniarumque conjunctionem à primis seculis repetitam, egregium Ecclesie decus ac munimentum, Europae totius quietem ex hoc fonte petendam, Regis sui virtutes imperio dignas prolixè opponebant. Hæc per literas acta. Quibus ita à Septemvirali collegio responsum est; ut gratia agerentur Gallo de benevola in Germanos voluntate, Hispano etiam spes aliqua fieret: utrique diceretur, curæ Electoribus futurum; ne, vel pia Majorum instituta, vel iuramentum, quo tenerentur, religio, violaretur. Non ignorabant Germani proceres, quod Principum Regumque per Europam inclinatæ voluntates, ac privata cuiusque studia spectarent. Tanta nihilominus in Septemviris gravitas, in gravitate constantia; ut quam quisque sequeretur sententiam, nullo partium augendarum conatu emerneret: ne iurata tranquillitati adversari, aut corruptis ad suffragationem opinionibus accedere viderentur. Moguntino difficilior in ceteris imposita erat provincia: cui, quod primus ad sententiam ferendam accederet, providendum fuit, ut talem suo designaret suffragio, quem gravissimæ causæ aliisque persuasuræ exposcerent: ne à ceteris desertus, aut retractare sententiam, aut contentiosè defendere cogeretur. Quorum utrumque sine aliquo dedecore non poterat. Sic igitur exorsus est.

Magnæ, viri Principes, rei suscepta deliberatio est. Agitur de imperij nostri dignitate, de pace ac bello, de fortunis omnium, dum quæritur, an Franciscus Rex Galliarum, an Hispaniarum Carolus, an verò à Principum Germanorum numero aliquis, Imperator deligendus sit? Qua in re sic equidem sentio, ad Gallum hoc imperij decus nequaquam transferendum esse, quod & legibus nostris, & iurejurando cautum sit, ne externæ gentis hominibus illa dignitas offeratur: neque Francisco ulla satis ratio suffragetur, quò minus peregrinus censeatur. Et verò, ut Germanis annumerari possit, gravissimis tamen rationibus meritò excludetur. Neque enim Rex monarchiæ assuetus leges sibi à Principibus scribi patietur, quibus cum imperio parendi necessitatem accipiat, quòd servitutis nomine habiturus sit, quidquid ex aliena voluntate susceperit. Nec sanè intelligo, quo nostro ad pacem emolumento, vim Gallicam Germanorum potentiae adjuncturus videatur. Ut enim illam voluntatem, quam de Carolo totaque Austriacorum gente opprimenda suscepit, honore ac viribus auctus deponat, nemo quidem meo iudicio expectabit, qui inveterata studia, qui æmulationem, qui diuturnas utriusque familiæ concertationes non ignoraverit. Stare hoc pacto incolumis Germanorum dignitas atque libertas diu non poterit, qui Mediolanum suis nuper adunxit regni finibus, cetera imperij membra ad tantum robur corporis confirmandum sociabit, ut in Gallorum sensum instituta Germania transmigret, neque imperare jam alij, quam Galliarum Reges liberrimis hætenus nationibus possint. De Turcarum vi atque insolentia per Franciscum Imperatorem facile reprimenda, non est quod mihi pariar persuaderi. Non ignoro, quantum ad hanc rem momenti allatura sit illa Germanorum Italicarumque cum Gallia societas. Verùm hanc ille vim in Carolum ante, quam Turcam



1519.  
 ,Turcam experturus est ; ne dum fortè foris pugnat, domi superetur, & cum a-  
 ,liena tuetur, propria aut negligat, aut amittat. Neapolim certè, quam heredi-  
 ,tario nunc jure contendit suam, armatus etiam Rex postulat, inermis Impera-  
 ,tor non deseret ; plus virium ad audendum, autoritatis ad impetrandum habi-  
 ,turus. Quocirca cum imperij nostri legibus, cum jurisjurandi religione, cum  
 ,denique gravissimis Germaniæ incommodis à Francisci electione retardemur ;  
 ,ne obsecro cum libertate nostra Gallis Germani tradamus imperium, qui non  
 ,dubiam pro beneficio servitutem reponent, imperandi simul eligendique po-  
 ,testatem accepturi. Ita nobis eligendus hodie Imperator est, ut quod alijs ac-  
 ,cipere, nobis donare impofterum liceat. In Carolo ad imperium vocato mi-  
 ,nus ego periculi, plus gloriæ atque emolumentum Germanæ nationi prospicio.  
 ,Sunt, fateor, quæ inter spem metuque successus cunctantem sustineant. Re-  
 ,motam Carolus à nostris finibus Hispaniam insidet : ut qui inexpectatam ali-  
 ,quam Turcarum irruptionem, ad natam subito in Germania seditionem, aut  
 ,dubiam, aut certè seram allaturus opem videatur. Quid deindè si offensione  
 ,læsus aliquâ in Germaniam Ibericis stipatus cohortibus veniat, an pristinæ  
 ,Germanorum dignitati minus ab Hispanis, quam Gallis erit metuendum ? an  
 ,non isdem, quibus defensurus armis videbatur, opprimere poterit, vel nostra  
 ,provocatus libertate, vel ambitione propria ? Denique an imperij Romani de-  
 ,cus alieni Regis manibus traditum, Hispanisque nostrâ indulgentiâ creditum ad  
 ,Germanos rediturum credimus ? de Mediolano id quidem persuasum habeo,  
 ,si rursus expugnetur, non aliter Hispanis restituendum, quam ne imperium  
 ,recipiat. Quæ me sanè causæ impellerent, ut præteritis exterarum nationum  
 ,Principibus, indigenâ Imperatore acquiescerem : nisi graviore etiam ab hac  
 ,sententia discrimine avocarer. Etenim sic Germanis Principibus Imperator,  
 ,hunc an Belgas Austriacosque, Caroli ditionis homines audituros creditis ? in-  
 ,ter non dubia Austriacæ Gallicæque gentis arma quid facturum existimatis ?  
 ,mediusne adstabit partium, ac dum Belgium Austriaque, fortissima Germaniæ  
 ,munimenta, ab imperij vel corpore, vel societate divellentur, periculosus certè  
 ,quærentur motibus, otiosus spectabit ; incertus cui odium favoremque impen-  
 ,dat ? An non intelligemus isdem, quibus illi oppugnantur telis, peti impe-  
 ,rium, eodem quo premuntur jugo ad servitutem destinari ? Erunt Austriacæ  
 ,in nobis potentiæ inimici, qui Gallis accedent ; erunt propriæ amantes liberta-  
 ,tis, qui sese objicient : ita divisus Germaniæ studijs ad gliscentem jam nunc sedi-  
 ,tionis flammam hoc etiam incendium additura est. Nondum contracti sub  
 ,Friderico tertio dedecoris maculam Germani diluimus, quando Burgundio-  
 ,num Dux Carolus per Germaniam, Mediolanensium Philippus Maria per Ita-  
 ,liam, Hungari per Austriam victricia arma contulere, Imperatore suis vix satis  
 ,finibus defenso, quamvis cum Bohemis Saxones Albertusque Brandeburgicus  
 ,arma Cæsari fidemque conjungerent. De illa verò, quæ ex religionis contro-  
 ,versia, tempestas Germaniæ imminet, periculosâ omnino & formidandâ quid  
 ,dicam ? non levem hæc minatur calamitatem, nisi tempestivâ Concilij ratione  
 D 3 discuti-



An. Chr. , discutiantur illa, quæ de Pontificis dignitate, de Ecclesiasticis legibus, de peccatorum venia, seditiosè magis, quàm utiliter jactantur. Infirmus verò Imperator ad hanc rem neque virium satis, neque autoritatis allaturus videtur. His, metuendam Turcarum vim atque immanitatem addo, quæ per Græciam, Panoniamque effusa, imperij finibus, quibus imminet, non arcenda tantùm; verùm & occupatis possessionibus deturbanda est, ne sensim vicinis opibus ad certam Germaniæ ruinam invalescat, quod sine conjuratis multarum nationum copijs nemo Imperatorum poterit. Quibus potissimùm rationibus ad illud consilium impellor, ut Carolum Austriacum ceteris Germaniæ Principibus anteferendum censeam, atque infra illius electionis emolumenta omne periculum habeam. Quis enim sibi persuaserit Germanum origine, ac familiæ Austriacæ Principem, sedem patriam, aut libertate pristinâ, aut dignitate imperij, spoliaturum, præsertim, ubi juratâ sese nobis fide obstrinxerit? Parum quoque ab ipsius indole atque ingenio mali nobis timendum est; boni verò expectandum quamplurimum: procul enim omnis, cum sævitia, tum juvenilis vitæ licentia, & æquitatis ac continentiæ inprimis amans comperitur. Parem cum Republica curam religionis amplectitur; ut jam tum ijs adolescat virtutibus, quibus immortalem ille gloriam, Europa incolumitatem sperare possit. Egregium patriæ avitæque indolis specimen, & par tantis, nisi annos numeres, Majoribus. Ætatem nemo accusabit, qui vim animi ingenijque maturitatem, æstimaverit, quo, & dare consilia, & accipere, ad res opportunè gerendas didicit: itaque regit, ut à viris optimis, & avi Maximiliani Germaniæque proceribus, etiam regatur. Temperamento Regibus digno, qui *subesse nonnunquam debent, ut rectè præsent; & audire paucos, ut à multis audiantur.* Timor verò iste, qui de Caroli absentis, tardeque ad pericula adfuturi imperio concipitur, quamvis omninò vanus non sit, tamen obstringi Imperator Germaniæ, & nostris legibus, & amore communis patriæ, & necessitate præsentis satis poterit, ut non præesse tantùm; sed adesse etiam imperij negotijs cupiat.

XXXIV  
Richardus  
Trev.  
Archiepiscopus  
pro Fræncisco de  
gornis,

Hæc ubi dicendo Præsul Moguntiacus absolvisset, ceteris privato colloquio consultantibus, Trevirensis Antistitem Richardum placuit audire, quòd longo rerum usu publicis, cum Romæ, tum in Germania negotijs præfectus, ad magnam ingenij famam prudentiæque laudem, illam etiam existimationem adjunxisset, fore ut adversas Carolo partes sequeretur, neque imparatus ad hanc pugnam veniret. Consultò id factum, ut ponderatis utrimque rationibus, tantò deindè liberiùs rectiusque ceteri pronuntiarent. Nec moratus ille, in hanc sententiam differuit.

Tempore, quo Majores nostri Maximilianum Cæsarem hac in urbe imperio profecerunt, vatem fuisse memorant, qui disertè constanterque hunc ultimum Germani nominis ac sanguinis Imperatorem fore pronuntiaverit. Dubia tunc quidem hominis oratio, nunc fidem mereri posse videtur, quando externo potiùs, quàm Germano Principi summa imperij potestas Moguntini Præsulis existimatione deferenda est. Optarem equidem eo res nostras loco esse,



se, ut, quæ Majorum nostrorum ratio ac gloria fuit, de alieno nobis præsidio cogitandum non esset, ne cum auxiliorum spe servitutis merum conjungere-  
 mus. Sed postquam à necessitate consilia ducimus, atque externum præ indige-  
 na probamus Imperatorem; nihil est, cur Hispanum Gallo præferamus. Legis  
 enim, quâ obstringimur indigenis, ac jurisjurandi religio, non Franciscum ma-  
 gis quàm Carolum arcet imperio. Etenim si Carolo ad legis hujus integrita-  
 tem sufficit, earum possessorem provinciarum esse, quæ nostri censentur impe-  
 rij; Franciscus & Insularum, & regni Arelatenfis, Reip. nostræ membrorum, Do-  
 minus, pari juris suffragatione contendet. Videndum nobis igitur, utri ex duo-  
 bus tantum decus potestatemque concedamus. Me quidem non mediocriter  
 delectat eorum recordatio temporum, quæ Francones Germanosque ipsidem  
 sub legibus Principibusque, & pacis, & armorum societate conjunxerant, domi  
 bellique suâ virtute notissimos. Hostis utrisque atque amicus communis erat,  
 Florebant suis provinciæ urbibus, urbes mercimonijs, negotiatio frequens &  
 promiscua, artes culturæ ac celebres, robur imperij firmissimum. Auream hanc  
 Majorum ætatem revocare licebit, si Galliam adjungimus Germaniæ, atque ad  
 corporis unius integritatem malè quondam dissipata membra colligimus. Ita  
 suadet Romanus Pontifex, hortantur Veneti, probant Italicæ nationis Princi-  
 pes. Nihil adversus imperij inimicos præsentius certiusque ad illorum cladem,  
 nostramque victoriam excogitari poterit. Gallia pecuniam, milites dabit  
 Germania: nihilque tam repentinum erit, cui paratâ virtute non liceat occur-  
 rere; nihil tam arduum, cui animos viresque oportunas non objiciemus. Turca  
 nobis pacatâ jam Asiâ, in Pannonia Italiave metuendus est, opponemus floren-  
 tem utriusque nationis exercitum, armorum jam olim gloriæque communione  
 sociatum. Hispanis verò, quamvis Germanorum neque societas inutilis, ne-  
 que labor ingratus futurus sit; laboris tamen præmia victoriæque fructum po-  
 tissimum decerpent, exercituum primò, ac deindè provinciarum Domini.  
 Quid, quod Hispania præter imperaturos nobis Duces parvam auxiliaris mili-  
 tiæ vim suffectura sit, cum longos terrarum tractus exhauriat India, & dum no-  
 vus occupatur orbis, amissis penè incolis Ibericus squallescat? Gallorum po-  
 tentia & tutior nobis, & uberior futura est. Neque est, cur tantoperè in Italia  
 Belgioque majori exarsura incendio bella metuamus. Mediolanum jam pos-  
 sidet, imperijque, cum opibus, tum autoritate fretus facillè tuebitur. Neapolim,  
 ut ne affectet, haud difficulter persuadebimus; ita bellorum illic causæ cum ar-  
 mis intercident. Belgarum verò populis, nisi fortè quierem aspernantibus, pa-  
 cem dabit, ubi major Reip. necessitas contra Turcam avocaverit. Quanquam  
 cur ita metuimus Belgio, nihil ad imperium Germaniamque præter aliquam  
 linguæ communionem adferenti? Faciamus nunc Carolum Imperatorem esse,  
 Deum immortalem, quales, quantosque in Italia motus concitabimus! Me-  
 diolano illè ante omnia possidendo & animum & manus adhibebit, Neapo-  
 lim adversus Gallorum imperus tuebitur, bellis & diuturnis & cruentis pul-  
 cherrima Europæ pars jactabitur, Turcis in Pannoniam, atque ipsa ad eò impe-  
 ,xij



An. Chr. rij viscera patebit aditus, & dum aliena aut dubia bellis prosequemur, certis ac proprijs excidemus possessionibus: hostibus atque amicis prædæ ac ludibrio erimus. Ille, quem ad iura ditionesque imperij vocamus Carolum, Insubriam, suis auspicijs contra Gallum occupatam, Germanis nunquam Imperatoribus restituet, Hispanis ad perpetuam Italiæ possessionem adijunget; ut hinc Neapoli, inde Mediolano potiti, summam illic rerum obtineant. Ceterum si ex Regis utriusque ingenio ac moribus electionem hanc ponderemus, nullum quidem de Francisco præferendo dubium æquis æstimatoribus relinquetur: nam ut moderatæ continentisque vitæ Principem Carolum admittam, ætate tamen ad vitia virtutesve etiamnum immaturâ, nondum integrum de se arbitrantibus relinquit iudicium. Spes sæpè magnarum rerum fallunt suis adhuc in seminibus reconditæ. Firmior nobis ætas, & belli pacisque negotijs probata virtus, Franciscum commendant. Religionis per subnascentem in Germania hæresin cladem formidamus, corruptos Ecclesiæ mores ad emendationem poscimus: hæc ingenio iudicioque robustior Franciscus præ Carolo poterit. Bella foris ab inimicis, domi à seditiosis civibus metuenda sunt; Duce ad illa nobis rei militaris perito, diligente, fortunato opus est. Talem esse Carolum, incertâ tantum spe, & solâ proavorum æstimatione præsumimus; Franciscum explorata jam virtus, ac fortissima Helvetiorum gens, nuper prælio ad Mediolanum prostrata docuit. Ut, nisi præclarissimis exemplis fides derogetur, tanto Duci adolescens posthabendus videatur. Neque illud de remota Caroli in Hispania sede perfunctoriâ Moguntini Principis responsione diluitur. Grave omninò est, ac cum maximis Germaniæ periculis conjunctum. Quis enim repentinos Turcarum impetus, quis civilium bellorum motus, subitam quandoque, velut in tranquillo mari exortam tempestatem componet? nonne destituta suo gubernatore navis præsens nobis exitium minabitur? Interea absens Imperator, aut partim certis rumoribus tanquam ventis exagitantur; aut dubijs consilijs, suspensisque auxilijs spes nostras fortunaque præcipitabit. Germani pro suis quisque affectionibus literas precesque offerent; decreta ipse ex Hispanorum ingenio concipiet, vel fera nimium, vel parum utilia. Denique perfacile aliquorum criminationibus irritatus, aut invitatus precibus, Germaniam peregrino invadet milite ad certiores servitutis inferendæ formidinem, quam libertatis propugnandæ expectationem. Quapropter si Divis hominibusque ista constitutum sit, ut imperij nostri diadema Rex alienigena possideat, Gallus ille potius arbitrato meo quam Hispanus futurus est. Quod si nostris insistere legibus Maiorumque institutis lubeat, ne, rogo, subtili nimium interpretatione in Germanis censeamus Carolum; verum ex hoc Principum virorum numero quempiam deligamus, qui origine, moribus, linguâ, ingenio Germanus habeatur. Inanis illa nostræ imbecillitatis formido est. Sunt in hoc procerum collegio viri, quorum virtus imperio digna, par etiam fortuna, viresque existimandæ sunt: si, ut decet, conjuratis animis opibusque ad illius defensionem conspiremus. Primus ille Austriacæ familiæ Cæsar Rudolphus forte



te viribusque infra virtutem erat, hac tamen attenuatum bellis imperium ad illam dignitatem potentiamque rursus excitavit; ut aeternam Germanis gloriam, vicinis Regibus timorem reliquerit. Nec ita pridem inter Franciæ proceres repertus est, qui Imperatorem nostrum Maximilianum per contemptum, Augustanum vocaret consulem, cui Rex Ludovicus reposuit. Consul ille, dum tympanum quatit, tota Gallia contremiscit. Nimirum nostri fama nominis, & Principum Germanorum virtus suâ apud exterâs gentes æstimatione semper floruit, atque etiamnum viget incolumis. Sunt in Boica, Saxonica, Brandeburgicaque familia fortes etiamnum præstantesque heroes, ex quibus si quem nostris designemus suffragijs, nostris copijs Imperatorem adjuvemus, Germanorum cum dignitati, tum libertati optimè consultum putabo.

Hæc Archiepiscopi oratio ita Principum animos penetrârat, ut fluctuantibus anxie cogitationibus, atque in utriusque opinionem defixis, promptum nulli esset, quod ad exaggeratas utrimque pro Francisco ac Carolo difficultates reponeret. Quocirca medio tritoque Majoribus tramite insistendum rati, ad aliquem Germaniæ, cuique etiam collegij Principem, Fridericum Saxonie Ducem, omnium vota spectare cœperunt; sed is, quâ erat modestiâ ac prudentiâ Princeps, cum intelligeret sibi vires tanto administrando imperio nequaquam pares suppetere; quod per Caroli IV. largitiones exhaustum, præter honorem vix quicquam ab opibus præsidij, ad molem tantam inter gravissimos hostes sustinendam, adferret hanc à se dignitatem ad Carolum transferendam esse contendebat. Nihil esse, cur illum è Germanorum numero eximamus, contra indubitatum sensum niti Trevirorum Antistitem, cum præscriptas electioni leges, aut Francisco inclinaret, aut apponeret Carolo. Fratrem, avum, consanguineos, & præter hæc omnia avitam hereditatem possidere in Germania. Illum deinde Carolum esse, qui ad imperij magnitudinem pares vires, ad ingentia bellorum pericula potentiam virtutemque adferat. Absque controversia, hunc omnibus præferendum videri: ijs tamen obstringendum conditionibus, quibus juri libertatique pristinæ Germanorum cautum maneat. Tam inexpectata Friderici sententiâ nutantes Septemvirorum animos ad Carolum rursus inflexit, ut proinde quisque pro se ad Friderici opinionem suffragatione suâ accederet. Trevir, ubi voto se, expectationeque suâ dejectum cerneret: *Nolle se quidem, inquit, repugnare solum universis, ne qua dissensionum semina jaciantur: iterum tamen iterumque hortari: ne impendentem imperij ruinam temerè præcipitent, & suo jam propinquam fato Germaniam aliena gentis mancipent servituti.* Ita post acerrimam dimicationem multâ jam nocte discessum est, ac postera dies legum Carolo præfigendarum examini constituta.

Subinde, non absque novo opinionum conflictu, dies aliquot scribendis imperandi conditionibus absumpti sunt, dum his tantum decretis lis fuit absoluta. Tueatur remp. Christianam, Pontificem & Ecclesiam Romanam, cujus sit advocatus. Jus æqualiter administret, ac paci consulat. Leges omnes imperij, præcipue Auream, quam vocant Bullam, non modò confirmet; sed de ipsorum concilio,

XXXV.  
Principes  
Germani-  
um, &  
Saxonie  
in prius  
Ducem  
Fridericū  
El. etores  
maluit.  
Sed hic  
subterfis-  
giens, Ca-  
rolum  
præfert.

XXXVI.  
Leges im-  
perandi  
Carolo  
præscri-  
ptæ.



An. Chr. filio, cum res ita feret, amplifcet etiam. Senatam in imperio constituat ex Germanis delectum, qui Remp. gerat. Jura, privilegia, dignitatem Principum & ordinum imperij minime convellat, aut imminuat. Electoribus liceat, cum erit opus, inter se convenire, deque Rep. deliberare; nullum autem ipse, quod minus id faciant, impedimentum adferat. Multitudinis & nobilitatis federa, vel societates adversum Principes initas aboleat, & ne imposterum fiant, lege prohibeat. De rebus imperij nullum fedus, aut pactum cum externis ineat, nisi de Septemvirorum assensu. Facultates imperij neque distrahat, neque oppignoret, nec alio quovis modo deteriores faciat, & quae sunt ab alijs nationibus occupata, vel ab imperio divulsa bona, primo tempore recuperet; sic tamen, nequid fraudi sit illis, qui vel privilegio, vel jure nituntur. Siquid etiam vel ipse, vel ipsius familia quispiam possideat, quod imperij sit, non acquisitum legitime, reddat interpellatus a Septemviris. Cum vicinis alijsque Regibus pacem & amicitiam colat, neque pro rebus imperij, nisi de ordinum omnium, praecipue Septemvirorum voluntate, bellum suscipiat ullum, intra, vel extra imperij fines. Peregrinum quoque militem nullum in Germaniam adducat, nisi consentientibus illis. Quod si vel bello petatur ipse, vel imperium, liceat uti quibuscunque praesidijs. Conventum imperij nullum edicat, neque vestigal aut tributum imperet, nisi de consensu Electorum. Conventus etiam non agat extra fines imperij. Negotijs publicis praeficiat, non exteros; verum Germanos ex nobilitate delectos, & conficiantur literae omnes Latino, vel populari sermone. Extra fines imperij nullum ordinem in jus vocet. Quia Romae multa sunt adversus pacta quondam inita cum Pontificibus, det operam apud Pontificem, nequa fraus privilegij fiat, & imperij libertati. Cum mercatorum monopola valde perniciose Germaniae coerceri debeant, rationem ineat cum Electoribus, & rem saepe deliberatam ad exitum perducatur. Portorium nullum aut vestigal imponat, nisi assentiantur Electores. Neque literis commendatitijs Electorum, qui sunt ad Rhenum, vestigalia deteriora faciat. Si quam habeat actionem in aliquem ordinem, legibus experiatur; vim autem nullam adhibeat ijs, qui se cognitioni legitima sistunt. Neminem indicta causa proferat; sed juris ordinem in eo sequatur. Imperij bona, quae forte vacabunt, nemini conferat; sed ad publicum referat patrimonium. Si quam alienam provinciam auxilijs Ordinum acquirat, imperio jungat. Si publicum quid suis copijs ac Marte recuperabit, Reip. restituat. Quod interregni tempore Palatinus, atque Saxo egerint, ratum habeat. Consilium nullum ineat, quo dignitatem imperij, sua familiae peculiarem & hereditariam faciat; sed liberam & integram permittat Septemviris eligendi facultatem, juxta Caroli IV. legem, & juris Pontificij praescriptum: quod secus factum fuerit, irritum habeatur. Ubi primum licebit, in Germaniam sese inaugurationis causa conferat.

Cap. Venerabile delect. & Elect potest. Item Clementina de jurejur. c. unic. xxxvii. Suffragijs omnium auctoritate.

Has leges, cum legati Caroli Moguntiae acceptas suo calculo approbassent, solenni deinde more Francofurti in aede D. Bartholomaei a Septemviris in suffragia itum est, Moguntino praesente: qui, ab Electorum collegio rogatus, quem



quem Imperatorem diceret? Ubi Carolum pronuntiaſſet, reliqui poſt hæc ad Moguntini interrogationem eidem ſuffragantur. Hæc ſingulorum vota literis excepta, omnium ſubſcriptione ceriſque confirmata ſunt. Publicâ deinde proclamatione à T ruceſio Decano Moguntinenſi, Carolus Romanorum Imperator in vulgus declaratus eſt. Magnâ, cum nobilitatis, tum plebis gratulatione applauſuque, quibus nihil gratius, quàm Gallorum expectationem illâ Principum conſenſione deluſam, quod faciliùs exiſtimarent, tam potentem non admittere, quàm, ſi res imperij poſtulerent, excludere hoſpitem. Nec minor ex Caroli nomine ſenſus objectus lætitiæ, quòd ingentes de illo ſpes, & avi memoria, & prædicata ubique adoleſcentis indoles vulgo faceret; ut non tantum urbis vici plaudentium, ſed & orantium vocibus templa perſonarent, quò Superitam bene auſpicatam electionem ad Europæ totius ſalutem converterent.

1519.  
tibus Car-  
rolus Im-  
perator  
procla-  
matur.

XXXVIII.  
Pontifex  
Carolus  
câ lege  
ſolvit,  
quæ Nea-  
politani  
Reges ab  
imperio  
arcentur.

XXXIX.  
Res impe-  
rij per  
legatos  
Caroli  
conſtitu-  
ta, & de-  
ſtinata  
in Hiſpa-  
niâ Fri-  
dericus  
Palati-  
nus.

Neque Leo Pontifex aliquod in ſe humanitatis officium deſiderari eſt paſſus: nam & Cardinali Cajetano, ſuo in Germaniam legato, poteſtatem fecerat, Carolum (ubi Septemviri ad illius electionem conſpirâſſent) illâ lege ſolvendi, quâ Neapolitani Reges imperio arcerentur, & Imperatori jam denuntiato, literas dedit officij ac gratulationis plenas, fuitq; illa opinio, quòd has metus potentia, magnus obſervantiæ conciliator, potiùs, quàm integer benevolentia amor expreſſerit.

Secundum Caroli electionem legati ipſius Moguntia ſunt evocati, atque in conſilium adminiſtrandi imperij, dum Cæſar in Hiſpania abeſſet, adhibiti. Utque Germanorum tranquillitati proſpectum eſſet, miles in ea præſertim loca, quæ Gallorum incurſionibus obnoxia putarentur, diſtributus, ſub auſpicijſ Caſimiri Marchionis Brandeburgici, aut in præſidijs, aut caſtris futurus erat. Legatio interea quoque ex Germania proceribus, in quibus facile eminebat Fridericus Rheni Palatinus, inſtituta, properè in Hiſpaniam contendit. Quam tamen privatorum nuncijs longè anteverterunt, ex quibus unus, ingenti feſtinatione, nono poſt electionem die Francofurto Barcinonem attingit, qui cum Regi inter matutinam quietem tam felix nuntium detuliſſet, magno auri pondere donatus eſt. Ad legationem deinde excipiendam verſus Carolus, trium milliarium itinere venienti Friderico, pridie Calend. Decemb. occurrit. Cujus literis, quas à Septemviris adferebat, inſpectis, ac mandatorum expoſitione auditâ, per Mercurianum Oratorem ſuum reſpondit. Grato ſeſe animo tantorum de ſe Principum amplecti judicium, voluntatemque accipere, facturum, ut debitâ patriæ pietate, dignâque cognatis Principibus benevolentia reſpondeat. Magnam eſſe imperij molem, tantâ præſertim temporum hoſtiumque iniquitate gravatam; ſed cum Deus præcipue ſit, qui regna, & Regibus imperat, & ſua protectione moderetur; iſque hanc imperandi felicitatem, quâ hæcenus & Auſtriacorum gloriam, & imperij dignitatem Majores ſui auxerint, poſiſſimum ſit auſpicatus: vocantibus ſeſe Principibus obſequi, ne Superis coronari deſerentibus obniti videatur. Rebus igitur in Hiſpania utcumque diſpoſitis propediem iter in Germaniam ſe aggreſſurum, ut Septemvirorum deſiderio faciat ſatis. His addita ad collegium Electorale literæ, & poſt inſignem in Palatinum collationem munerum, remiſſa in Germaniam legatio eſt.



An Chr. XL. Hispanos a Carolo admini-  
stratio of-  
fendebar  
ob regimē  
Belgarū  
unde Ciro  
ia se sub  
duxit.  
Jovius in  
Hadria-  
no. Heu-  
terus in  
Chronic.  
Anton.  
de vera.  
& Harz-  
us in Ca-  
sulo.  
1520.

Biennium jam inter Hispanos Carolus exegerat ; sed procerum animos ; quamvis suā indole sibi devinxisset , invisā aulicorum potentiā offenderat. Non se rebant, externam sibi Belgarum nationem, quā Regis aulam consiliaque moderabatur, tanto honore prælatam, ut qui illos amicos non haberet, Rege, benevolo frui non posset. Tot se Reges habere credebant , quot peregrinæ gentis homines Hispanis prælatos cernerent : præterquam quod *rarum aulica potentia exemplum sit, Regi simul & populo placuisse*. Hinc odia, & seditiois jacta semina, præsertim cum, pretioso Belgis favore, publica ad illos officia, ac regij juris sacerdotia ex Hispanorum manibus transfirent. Exciderat eo tempore Gadium præfecturā Ferdinandus Davalus, qui cum iccirco vindictæ cupiditate flagraret, sensum apud alios invidiam novo Regi , ac præsertim aulæ proceribus conciliaverat. Denique post adjunctum sibi uxoris Pacææ lenoncino Joannem Palilliam Toletanæ nobilitatis virum Principem , & Zamoræ Antistitem Daccugnam, ac Petrum Gironium Salvaterre comitem, Magnates facillè plures, ac pleraque Castellani regni oppida suarum partium fecerat. Hæc latere non poterant, ubi tam latè per vulgus Principesque emanassent. Quocirca Guilielmus Croyius, Belgarum in aula potentissimus, immoderati regiminis odiorumque contractorum conscientia territus, veritusque, ne hujus ipse conjurationis non ultima caderet hostia, per speciem invisendæ classis, ad Biscaios Carolo instructæ, in Belgium dilapsus est. Rex tamen convocatis Toletum Hispaniæ Ordinibus, & ipse mente Martio Anni MDXX. Vallisoletto eodem profectus, docuit, errare seditiosum vulgus, quod se in Germaniam ire, non rediturum ad suos Hispanos perperam jactaret : abire se, ne neglecto Romanorum imperio locum Francisco Galliarum Regi faciat, per quem, eâ potestate fretum, etiam Hispania in discrimine futura sit : certè Siciliâ ac Navarrâ, fortissimis munitis sit privanda. Orare igitur, ne in re tanta inviti reluctantur, aut se destituendos existiment: quâ ipsis velit esse consultum. Porro necessarijs sibi ad hoc iter pecunijs, ne desint, id inprimis postulare. Sed, paucis ordinum urbiumque assentientibus, à plerisque, etiam Castellanos, est reclamatum ; qui alia se lege parituros in ære exhibendo negarunt, quàm si, exteris præteritis, indigenas Hispaniæ gubernandæ præficeret; neque regni beneficia in peregrinos, onera in subditos derivaret. Pari lege ad eandem spectare gentem regnorum incommoda, ac præmia. At frustra, jam tum Carolus imperia dare, non accipere à subditis volebat, precibus ante flectendus, quàm armis.

XLI.

Carolus  
Vice Regis  
Hadriani  
Card.  
præficit,  
seque in  
Angliam  
classē  
trāsfert.

Neglectâ igitur rebellium pertinaciâ opportuniùs vindicandâ, aurum, quod pacatæ urbes deferebant, admisit : moxque, ut à seditiosis militem cogi intellexit, Hadriano præceptoris quondam suo, nunc etiam Cardinali, summam rerum per Hispanias administrationem committit ; quod suâ illum humanitate contra rebellium insolentiam plus ceteris valiturum crederet ; neque ad succrescens primum ulcus ferrum judicaret admovendum, ipse sese Toletum, fugienti similis, properè ad classē in Biscaijs stantem subducit. Et quamvis Oratores diversarum urbium importunè hærent, obtestarenturque, ne se desereret, hinc ex-  
por-



portu Corynnæ velis remisque per oceanum ventosque aspirantes ductus in Angliam, paucorum dierum navigatione Hamptonij portum subiit, Aprili jam mente ad exitum spectante. Adibat illo Angliam consilio, ut Rege Henrico (cui etiamnum Catharina, Caroli matertera, conjux placebat) contra Franciscum Galliarum Regem amico uti posset.

Hic aliquot diebus, in mutua benevolentia significatione, federumque antiquorum innovatione consumptis, non longo maris itinere triginta navium classe in Zelandiam Belgarum provinciam, atque inde mox Brugas Rex contendit: ubi illum, præter Venetorum Germanicæque nationis legatos, frater Cæsaris Ferdinandus, & Margarita amita Belgij gubernatrix præstolabantur, qui varijs latitiæ argumentis, publicè privatimque editis venientem complexi sunt. Inter hæc suorum studia, & Belgicarum rerum curas hæsit aliquantum Carolus, Henrici ex Anglia Regis adventum expectans, qui ejus diei celebritatem suâ se aucturum præsentia receperat, quò Imperatoriam dignitatem solenni ritu aditurus esset; sed consilia fidemque datam Rex Gallia interpellavit, qui idoneum rebus suis Henricum, à Carolo ad se, magnis inflexerat promissionibus.

Igitur Carolus rebus ad iter comparatis, Electoribus significat, septimo Octobris die se Aquisgrani aditurum. At Septemviris Colonia subsistentibus, locus ille jam dudum electioni consecratus, metu illic sævientis pestilentia, displicuit. Actum itaque per submissos ad Regem legatos, ut Coloniam huic dignitati opportunam diverteret; sed vicit Aquisgraanorum contra obnitentium studium, & diminuta apud Carolum affectæ urbis opinio, ut nollet duobus adversari Carolis: alteri magno; cujus illic cineribus eximius est honos: alteri hujus nominis quarto; cujus legibus hæc coronationi sedes est constituta: ne pristina consuetudinis contra tantorum hominum legumque reverentiam negligens videretur. Ita Carolo noverem gerere coacti Septemviri omnes, Saxone valetudinis causâ apud Ubios relicto, primo & vigesimo Octobris die urbem ingressi, postridie venienti se Regi obviam dederunt: quos tanta hominum multitudo circumfluxit, ut millia facillè passuum occuparet. Occurrit cum lætissimo duorum millium exercitu, ac spectatissima totius Belgij nobilitate Carolus, explicatis ad illustrem speciem agminibus: cui parem fermè ex adverso militiam Germaniæ Principes objecerant.

Ubi propius ventum, Electorum singuli, duodecim ex nobilitate assumptis, ad Regem contenderunt, equisque desilientes, prono obsequio Carolum venerantur, ac descensum vicissim honoris gratiâ molientem detinent. Salutem vota que Principum exposuit vernaculâ linguâ Albertus Moguntiorum Præsul, cui Salisburgensis Cardinalis benevolè ex Caroli voluntate respondit. Ad eos quos deinde regressi, amicis aliquamdiu colloquijs tempus ad Palatini adventum extraxerunt. Sed oborta legati Saxonici (qui Princeps Anholtinus erat) & Ducis Juliaci de locis honorisque prærogativa contentio erat, invitos ad primas noctis tenebras morata est: dum huic ob præfecturam Aquisgranensem illâ lege præcundi datæ partes; ut, transmissâ ante alios urbe, nulla hospitia occuparet.

E. 31

Cete-

XLII.

Hinc in  
Belgium  
profectus  
magno i-  
stic plasu-  
su excipit-  
tur.

XLIII.

Aquis-  
grannum  
pro coro-  
natione  
Colonia  
præhabet.  
Hartmã-  
ni Mauri  
acta co-  
ronatio-  
nis Colo-  
niæ pau-  
lò post e-  
dita. Hist.  
Germa-  
niæ to. 3.

XLIV.

Principes  
certatim  
Carolus  
nec sine  
amula-  
tione ex-  
cipiunt.



An. Chr. Ceterum hoc ordine pompa instructa erat. Dux omnium Joannes Brandeburgi Marchio, circa quem, præter satellitium, equites vexilliferi, clypeis, more veteri, latus muniti. Hunc tria à tergo millia peditum Germanorum insecuta sunt, quæ urbem deinde transgressa, vicina Aquisgrano loca obsederunt. Inde Juliacorum Princeps, cum quadringentis gravis armaturæ militibus, incessit. Hunc Saxonis, Palatini, ac Brandenburgici copiarum certis distributæ turmis ordinibusque sequebantur. Inde Septemviralis Ecclesiasticorum Præsulum miles, suis quisque intervallis, post Moguntinensem Treviricus, ac denique Coloniensis proximè Regem adjunctus est. Habitu uno cujusque Electoris legio, à ceteris distincta, incedebat. Erat & armorum discrimen, & cataphractorum in certa loca divisi ordines. His purpuratorum ex aula regia pars aliquo intervallo insistebant, illo vestium pretio cultuque, qui, dubiâ quamvis luce, ad stuporem adspectantium emereret; inter quos, præter Germanos, non pauci Hispaniæ Burgundiæque proceres, aureo alij vellere, plures aliâ dignitatis prærogativâ illustres. Subindè regij pars exercitus turmatim ita digesta, ut tympanotribæ, tubicinesque harmonicè admoderato plausu invicem responderent. Post illos, religiosorum hominum ordo, cui à fine adhærescerent aliquot regiarum aulae proceres equis generosissimis investiti. Inde præmissis æneatoribus duodecim, tres regali aquilâ, regni que, ac gentis Carolinæ insignibus ornati, missiles in plebem nummos spargebant. Sub hæc Caroli Magni effigiem miræ prodigiosæque magnitudinis, delatumque in ferculis ejusdem Divi caput sacrum Canonicorum Collegium stipat, æneis vigilum ex urbe cornibus rudi musicâ adstreperantibus: quorum unus regio insidens equo, qui ex veteri illis consuetudine cesserat, agmen ducebat.

XLVI. Siquidem Imperator, instituto Majorum, ubi extremam urbis partem attigit, exosculatus, quam Canonici offerunt, crucem, submissâque veneratione profecutus Caroli reliquias, equum, quo vehebatur, demittit, atque in alium transit præstantiorem, quo urbem fubeat, mox etiam, ubi descenderit, in aliorum manibus destituendum. Canonicorum terga lateraque stipabat Prætoriana Cæsaris cohors; pars ex Helvetis bipenniferis incedebat pedes; ex Burgundionibus Flandrisque pars altera, interlucentibus auro sagis gelisque Gallicis, eques progrediebatur. Hos ponè armigeri cum imperij ac Hispaniæ regnorum insignibus, alijsque expeditissimis Ibericæ nobilitatis ephebis ibant. Septemvirale collegium regiam Majestatem illustri spectaculo auxerat. Comes Palatinus dextero, legatus Marchionis sinistro latere, medio Electorem Trevirenses acceperunt. His à tergo aderat, Ducis Saxonici loco, Udalricus Pappenheim nudatum vaginâ gladium ferens. Denique nobilissimo vectus equo, armisque ac paludamento, auri argentique luce coruscantibus, Cæsar eminebat: quem modico intervallo stipaverant; hinc ad dexteram Coloniensis Septemvir, coronandi prærogativâ hoc loco prælatus ceteris; indè ad sinistram Moguntinus, nuper electionis dignitate superior. Sequuti hos sunt Seduni, Salisburgi, & Croiæ Antistites, purpurâ Cardinalitiâ illustres viri, multique alij legatorum munere functi. Declinave-



naverant hanc tamen Pontificij Anglicique legati congressionem, nequid Principum suorum auctoritati decederet, si minorem Septemviris locum occupassent. Ultimo loco pars altera regionum militum, iisdem armis, habituque puniceo flavis albisque coloribus distincto incedebat, ac militari harmoniam plaudentium latitiam sensumque extimulabant.

Ubi Rex templum, Virgini Deiparæ olim à Carolo Magno consecratum, adierat propius, juxta porticum equo abscesit, quem antiquo sibi jure supremus aula apud Ubiorum Antistitem Præfatus, Comes à Pufferscheit vendicabat. Mox exceptus Basilicâ, mediâ illius areâ pronus in terram sub pensili corona stragulis incubuit: dum post dictas à summo Coloniensium Episcopo preces, ad solenne laudis canticum pedibus insisteret, ac denique in genua ante celeberrimam Virginis aram provolutus, Cælitibus hujus sui honoris auspicia piè sanctèque consecraret. Hinc ad ædis sacrarium cum Septemviris digressus, suas illis immunitates ex more novâ concessione probasse existimatus est: quod olim in amœnissimo Rheni litore, haud procul Confluentiâ ad municipium Rentz (quod olim Francofurtum Aquisgranum descendentes iter erat) Imperatores faxæ tedi sub nucibus impositi Principibus firmasse, suo indulto feruntur. Hora jam noctis secunda propè exacta fuerat, cum palatium ad canam quietemque Carolus subiret.

Altera dies D. Severino, Ubiorum quondam supremo Præfati, dicata, ad coronationem non tam opportuna omnibus visa est, quam ad festinationem ex urbe infecta profectionis necessaria. Quare primâ diei luce sacri Ordinis Principes eandem basilicam ingressi, Pontificio ornati habitu, venientem haud multò post Regem, insigni Principum Comitumque ac purpuratorum coronâ septum, aureoque super Archicucis cultum amiculo ornatum, profusi obviam exceperunt, tantâ in templum affluentium multitudine; ut licet soli procerum, recensitis nominibus, edicto admissi sint; tamen neque leges latæ, neque armorum legio contra irrupentium vim aviditatemque suffecerat. Sacris operaturus Coloniensis Antistes, dum preces quasdam expiatorias ad Deum pro Cesare præmittit, ipse per alios sacri Ordinis Septemviros, ad aram deductus, pronus in terram corpore, supplex jacuit; dum auream ex adversum aræ locatam sedem iisdem ductoribus adiret, nec multò post ad Cælitum per litanias implorationem altari, eodem quo antè supplicantis habitu, accumberet. Sub quas erectus in pedes Carolus, à sacrificante Episcopo, Romano sermone interrogatus est: Num fidei Catholicæ, Orthodoxæ Ecclesiæ, justitiæ, imperijque propugnandi defensorem sese addiceret? Romano denique Pontifici, summo per orbem Christi Vicario, debitam submissionem delaturus esset? Quæ cum omnia se facturum annuisset: ad dexterum altaris cornu progressus, duobus in illud digitis inclinatus, conceptis verbis fidem ductorum sacramento confirmavit. Indè, Carolo in solium recepto, Coloniensis Præsul adstantes circum Principes percontatur: Nunquid fidem obsequiumque præstituri huic Domino sint? Quibus id affirmantibus, rursus ad preces itum est, procumbente suppli-

citer

XLVII.

*Alterum equi ad portas templi cedit aula præfecto: Archiepiscopi Coloniensis.*

*Sub corona templi procubuit.*

*In sacrario suas Electoribus immunitates communitatibus firmat.*

XLVIII.

*Coronationis solennitas altero post die instituitur.*

*Coloniensis Archiepiscopus consecratur & coronatur.*

*Fidem juratam Ecclesiæ Rom. & imperio dat, & vicissim accipit.*



An. Chr. Inungitur. Diaconi habitu ad aram ducitur. Gladiū, annulū, pallium, aureum velleus, sceptrum, pomum, ac coronā denique accipit.

citer Carolo: quem mox in genua aræ advolutum oleo secundum caput, pectus, brachiorumque flexus, ac manuum palmas idem Præful inunxit. Ab unctione ad sacrarium inter alios summos Præfules ductus, amiculum aureā Dalmaticæ chlamyde permutavit, focculisque imperialibus D. Caroli indutus, Diaconi habitu ante aram inter solennes iterum preces procubuit. Erectus brevi, cultuque priori exutus, eductum vaginā eximie magnitudinis gladium de manibus Coloniensis, inter alios duos Præfules stantis, accipit. Quo reducto acceptoque post regnorum Ecclesiæque defensionem, solenni appreciatione, commissam; annulum digitis, pallium Magni Caroli humeris, ac denique aurei velleris insigne collo, inter certa comprecantium verba, tanquam imperij Ecclesiæque sponsus, admisit. Sceptrum porro dextræ, aureumque pomum, cum æquitatis administrandæ voto, tum denique corona trium Archiepiscoporum manibus capiti imposta est. Quo ornatu admotus aræ, eadem ferè, quæ prius datâ fide receperat, juramento roboravit.

XLIX.

Post applausus publicos, Ordinis equestris viros: Caroli M. gladio creat, & sacrificiis è manibus S. hostiam excipit.

Indè basilicæ inferiorem testudinem, triumviratu Archiepiscopali stipatus, conscendit: ubi saxæ illocatus sedi, Moguntinum Præfulem, totius Collegij Electoralis nomine gratulantem, tum Canonicorum ordinem applaudentem auscultavit: cui deindè, & ipse Imperator, Canonicus, veteri more, initiatus est. Ad hæc musico vocum atque instrumentorum concentu jucundè allusum: dum intereà, grato etiam oculorum spectaculo, Cæsar ordinis equestris viros creat, Divi Caroli gladio in submittentium sese humeros, leni ictu, inclinato. Quamquam hæc dignitas à nobilitate ad opulentum vulgus largitionibus traducta, non parum evilerit; cum præmium honoris virtutibus debitum, auro perperam æstimari traducique cœperit, ut jam propemodum virtus sit opes possidere. Porro dum ab Evangelio inchoatum sacrificium ad finem decurreret, sedi immoratus, ad sacras postea epulas tantâ submissionis pietatisque specie accubuit, ut non minorem virtutis, quam dignitatis suæ æstimationem apud omnes relinqueret.

L.

Magnificum in curia epulum præbitū: in quo hydrophorus Elector Brandenburgicus, Dapifer Palatinus, orator Treviricus, Sigillifer

Hinc ad plures in ordinem equestrem adscribendos digressus; nec multò post ut erat imperiali ornatu decorus, inter septem viros, ac prælata regnorum insignia, curiam foro proximam, amplitudine suâ ac vastitate, tum recenti peristromatum cultu perquam illustrem subiit, ubi basilicè ad epulum comparata omnia. Hic per Marchionem Brandeburgicum affusa regijs manibus aqua, Palatino Comite, alijsque Principibus mappam lavanti subministrantibus: qui deindè Comes supremi dapiferi functus munere, mensarum apparatus moderatus est. Ab Electore Trevirensi subindè cibus oratione sacrâ benedictum est: Moguntinus verò digressus, inter Archicancellarios, ut vocant, sacrorum Principum ipse medius, sigilla regia insigni magnitudine, ex baculo argenteo suspensa, mensæ intulit: quæ deindè, Cæsaris recepta manibus, collo appendit. Post hæc Principum Electorum præstita officia, singuli singulis, à Cæsare, mensis accubere, inferiore omnes ab illo gradu. Exadversum Imperatori, medius inter Coloni-

Moguntinus. Electores singuli singulis mensis assident.



niensem Regis dextræ, & Moguntinum sinistra respondentem, Trevirum sum-  
mus Antistes affidebat. Altera, tertiaque à Colonienſi Præſule menſa, Bohe-  
miæ Regi Saxoniamque Duci aureis inſtrata tapetibus, utroque Principum ab-  
ſente, vacabant. Siquidem Bohemo Electoralis poteſtas, licet raro præſenti, in-  
ter ceteros, & tertio quidem ſuffragio competit. Quem honorem, in Maximili-  
ani electione quondam præteritus, ferro etiam vindicare ſtatuerat: niſi illo  
viciffim onere abſolveretur, quo Imperatorem in Italiam euntem, ſua ipſe per-  
ſonâ ſequi cogitur. Sed lis arbitrio prudenti abſque ferro conſtitit. His menſis  
oppoſitæ aliæ geminæ, quarum una Electori Brandenburgico; ſed & abſenti, deſi-  
gnata: altera Brunſvicum Juliacumque Ducem appoſitis epulis acceperat.  
Quarta ab his inſtructa erat aliquot Episcopis, quinta regiſ Conſiliarijs, ſexta  
Aquiſgranenſium Magiſtratui, legatiſque Nurenburgenſium, quibus ornamen-  
torum imperialium cuſtodia, veteri inſtituto, competit. Lautiſſimum, ac ſanè  
plusquam regalis magnificentiæ, convivium quinquaginta ſerculis adhibutum,  
eâ lege eſt, ut quinis miſſibus abſolveretur. Plurima ad gulam, nonnulla etiam  
ad ſolam oculorum oblectationem ſunt appoſita. Leonum aquilarumque hinc e-  
dulijs permixtæ effigies, arborum, caſtellarum propoſita ſimulacra: atque inter  
hæc, ventilata in patinis Germaniæ Hispaniæque regnorum inſignia. Singulis  
deindè menſis ſinguli reſpondebant abaci, aureis argenteiſque valis, calaturâ  
veteri, pretioque ac magnitudine viſendis, graves.

Interea non injucundo ſpectaculo plebs foris detenta eſt. Siquidem Udalri-  
cus Pappenheim minor imperij, ut appellant, Mareſchallus, ad forum provectus,  
in effuſum illic avenæ cumulum, equum, quo ferebatur, pectore tenus adigit,  
raptumque ſubindè ex argento modium, hoc farre impletum, in circumſtantes  
largâ manu partiebatur. Sed & præ regiſ palatij foribus fons, uſitato more, ex-  
citatus, qui ex aquilæ & leonis effigie vinum in labra ſubjecta effunderet: quod  
ſubterraneo ductu ſubmiſtratum, die toto in populi uſum profluxit. Diverſo  
paululum ab hoc loco, ante Belgiæ gubernatricis Margaritæ aulam, bos inte-  
ger, ligneo ſuffixus veru, minoriſque animantium grege fartus, ad luculentum i-  
gnem ſenſim excoctus eſt, qui præciſâ hinc Regi portione, irruenti raptim popu-  
lo in prædam ceſſit. Sub epulas, nonnullosque equeſtri dignitate ornatos, Cæ-  
ſar à Principibus ad inſtructum ſibi palatium, inter tubicinum applauſum, dedu-  
ctus eſt. Ubi, non longè poſt, ſigilla ruruſum, cum equo honorario, ſibi à Mogun-  
tino venerationis cauſâ, ſubmiſſa, eodem remiſit, ac plenam uſûs officiijque po-  
teſtatem fecit.

Ita, tranſacto ad veſperam die, altera deindè lux ſolenni ruruſum epulo, quod  
Cæſar Principibus eximio proruſus apparatu dedit, illuſtris fuit. Poſtridie vaca-  
tum pietati, & Carolus poſt inſpecta venerataque Divorum oſſa, infantis Dei ex-  
oſculatus ſcicias, à Moguntino Septemviro juſſus eſt, Pontificis Romani volun-  
tate, Imperatoris, atque electi Cæſaris titulum uſurpare; ſed hunc confirmati  
imperij honorem, olim in Italia, præcipuâ Imperatorum ſede, conferri ſolitum,  
atque à Maximiliano (Gallorum Venetorumque armis ac artibus prohibito) do-  
mi,

1520.

Abſentiâ  
me ſa  
ſira a  
vacat.

Brunſvi-  
coni &  
Lulaco  
Duci ſua  
etiam po-  
ſita men-  
ſa eſt, ut  
& legatio  
aſſiſſi,  
Ferculo-  
rum 30.  
varietas  
& decus.

Ll.

ſpectaculo  
lum, lar-  
gitione ſp-  
& epula  
foris po-  
pulo da-  
ta.

Modio  
argenteo  
avena  
dividiſſus  
Fons vi-  
no ſcatu-  
riens.

Bos inte-  
ger mino-  
riſque  
fartus af-  
ſer, &

à populo  
raptus.

Ll.

Sequen-  
tium die-  
rû acta.



An. Chr. mi, Pontificis indulto susceptum, Carolus, revocatâ Majorum consuetudine, in Italia rursus suscipere maluit: ut loco ac tempore à nobis exponetur.

LIII. Electores officio suo functi, ex infecta adhuc urbe, nullâ morâ, Coloniam se receperunt, quos, tertio post inaugurationem die, Cæsar insecutus, Brulam divertit, alterâque luce sub calendas Novemb. ab effusis obviam Principibus Agrippinatûm urbem magnificè inductus est. Hinc, vulgato per Germaniam decreto, omnes imperij proceres ad comitia Wormatiæ imperata sextâ Januarij anni MDXXI. die adesse jubet. Indè Bonnam ad Hermanni Archiepiscopi arcem, locumque haud procul venationi opportunum digressus, biduum hoc studio, laxatis animi curis, absumpsit, non sine virtutis experimento: cum inventum in se ore spumanti aprum, inflicta forti ictu hastâ dejecerit. Moguntiam ex hoc loco, ac deindè Wormatiam, Vangionum sedem, Cæsar adverso flumine contendit. Quam quidem urbem licet ruinis deformem laceramque, comitijs tamen imprimis existimavit idoneam, tum situ, quo mediâ ferè Germaniâ incumbit, tum fertilitate loci, quâ omnium rerum subministrat copiam. Hic prima illi de Austria rectè constituenda, atque ad tranquillitatis consilium revocanda cura fuit. Hæc enim ab obitu Maximiliani moderatore suo, tanquam equus effrenis sessorum destituta, effundi in omnem licentiam cœperat, minores Dominos aspernata, ac paucorum imperantium libertati obsecuta. Hi è pluribus delecti, Viennæque, ceteris perturbatis, recepti, annuos Archiducum redditus suæ fecerant potestatis, officia muniaque publica suo arbitratu deferebant, sacri profanique muneris beneficia, pacis bellique rationes sibi deposcebant. Magis illa inflammata sedicio est, natis per Hispaniamurbationibus, quibus vitam Carolum impensurum sperabant. Verùm ubi evenire secus omnia, & Carolus ad tanti regni opes imperij Romani potentiam adjicere, trans Rhenum Germaniæ jam Dominus inferre pedem, graviora etiam minari obsequium detrectantibus; tum metu (qui in pessimis sæpè rebus optimi fuit consilij magister) ad mentem reducti, de subditorum officio cogitare cœperunt, atque ab inconsulta sese recipere audacia; dum ad Ferdinandi denique fratris castigationem, aliquot capitum supplicio absolutam, quiescerent, ejusque se obsequio permitterent.

LIV. Intereà ad Imperialem synodum magnâ frequentiam Germani Principes confluxerunt, ubi illa imprimis tractata fuere, quæ ad imperij tranquillitatem æquitatemque firmandam, ad Turcarum vim insolentiamque reprimendam, ad suffocandam hæresum subnascentium semina facerent. De prioribus utrunque est constitutum: posteriori malo frustra sunt quaesita remedia. Et quoniam Cæsaris absentia Germaniæ, inter Turcarum & Sectariorum audaciam fluctuanti, metuenda, lectus ex singulis imperij ordinibus, summa cum potestate, Magistratus, qui absentis vicem consilio atque autoritate suâ fungeretur, quarundam tamen definitionum, quæ ex Cæsaris voluntate penderent, exemptione. Antiquæ quædam leges jam inimicâ temporum morumque propemodum oblitteratæ novarum, legum adminiculo, fulcra sunt, quibus inexplicabilis monopoliorum ac fæ-

nera-

Carolus  
Coloniã  
magnificè  
ingressus,  
istis natis  
li eris co-  
mitia  
Wormati-  
am in  
dixit, ac  
subin-  
eò digres-  
sus de  
Austria  
turcos cõ-  
ponendis  
sum fra-  
tre Ferdi-  
nando la-  
boravit.

Comitia  
Wormati-  
ensis  
quibus de  
rebus in-  
stituta  
sunt.

Quæ-  
dam  
leges  
istis  
data.



neratorum rapacitas imperio proscripta est. Litigantibus, ut esset expeditior ad æquitatem via, nec immortalibus traherentur litibus controversiæ, Cæsarea per imperium tribunalia designata sunt, ad quæ privatorum juxta ac Principum causæ spectarent: ne ad diras Pontificum execrationes, tanquam auxiliariam opem, confugiendum esset. De moneta etiam certi ponderis æstimationisque cudenda firmandaque rationes inita: ne ad enorme contrahentium dispendium incerto per imperium pretio fluctuaret, nefandamque feneratorum avaritiam impunè aleret. Vestium conviviorumque immodicus luxus lege est castigatus. Interdicta, sub exilij pœna, Germanis externæ militiæ sunt stipendia: ne, veteri bellicosa gentis more, tanquam alienæ nationis mancipia, solâ lucri cupiditate, in patriam popularesque suos armarentur: turpissimo vitio, quo honestum satis ducunt, quidquid quæstuosum est, & fortitudinem vendere, quàm probari malunt. Constitutum denique de profectioe in Italiam adornanda, ad vetera imperij decora, vi doloque adversariorum intercepta, suum in locum dignitatemque revocanda.

Hæc aliaque facilioris negotij ac deliberationis fuere, una vacillantis per Germaniam antiquæ religionis difficultas, gliscensque seditioe vis major fuit, quàm ut gravissimorum virorum judicio absolvi, aut, præfinitis legibus, intra rationis modestiæque terminos cohiberi posset. Autor malorum & fax dissensionum Lutherus, homo Theologicarum rerum professione, & dicendi promptitudine ad plausum vulgi captandum idoneus. Occasionem dederunt, tum vulgatæ Pontificijs literis peccatorum, ut vocant, indulgentiæ, promulgantibus quæstuosæ; tum ingenita homini arrogantia, & affectionum immoderata licentia; quæ, licet professione religiosum, ingenij tamen simul literarumque fiducia nixum, transversum raperent. Leo Pontifex hoc nomine decimus, ut & Vaticanæ Ecclesiæ nobilissimum opus, à Julio cœptum Pontifice, glorioso coronaret exitu, & contra Turcarum immanitatem, graviorem Indies Europæ ruinam minitantem, aurum armaque compararet, Indulgentiarum per subjectas sibi nationes passim copiam fecerat ijs, qui subsidiariam aliquam pecuniæ opem facerent. Hi labor ab Alberto Moguntinensium Principe eis rebus per Germaniam præfecto, Dominicanæ familiæ viris, anno hujus seculi XVII. traditus, invidente hanc illis, sive dignitatem, sive etiam operam cum utilitate conjunctam, Staupitio Augustiniani ordinis Generali. Qui, ubi vidisset vulgaris plebeculæ abusu & inscitia, Pontificia diplomata, velut ex mercatu comparari, negligentisque flagitiorum homines oberrare, ubi hæc, tanquam libertatis securitatisque tesserâ, muniti incederent: Lutherum, jam invidiæ indignationisque flammis æstuantem, hanc rem pro concione in scholis templisque (utrobique enim docebat) exagitare jussit. Sed is, pro ingenij ferocia, mediocritatis limites prætervectus: non tam abusum Romanorum diplomatum, quàm illorum repertorem, suasoresque ac dispensatores aggressus, Pontificiam hac in re potestatem, atque Indulgentiarum ad hujus vitæ scelera, alteriusque etiam temporales pœnas abolendas,

F 2

lendas,

*canis potius quàm Augustiniani credita, emulationem in hunc primò, deinde hæresin excitavit.*

LV.  
Novitatis  
doctrina  
per Lu-  
therum  
illata vix  
resisti po-  
terat.  
Qua il-  
lius oc-  
casio fue-  
rit.  
Cochlæ-  
us de a-  
ctis Lu-  
theri.  
Vlem-  
bergius  
in vita  
Flor.  
Remun-  
de orig.  
hæres.  
Schleida-  
nus, Su-  
tius in  
com. &  
alij  
Indulgē-  
tiarum  
quæstuo-  
sa pro-  
m. legatio  
Domini-



*An. Chr. Theses à Lutero Wittenberga cōtra In dulgentias promulgata.*  
*Concilia, & Canones Lutherus aspernasur.*

lendas, vim infringere conatus est. Neque intra verborum contumeliam in res sacras, earumque Præfules jaçtatam, substitit; sed scriptis, vulgatisque typo positionibus, ad quas Wittenbergæ (ubi Academicis Doctor Theologus præerat) propugnandas, omnes promiscuè totâ Germaniâ adversarios provocabat. Itaque liberè in illius ævi disciplinam grassabatur; ut D. Thomæ, Scotique volumina, cum Aristotele, igni consecranda potius, quàm studiosorum hominum manibus terenda diceret, ob inutilem, aut certè inquinatam fidei erroribus doctrinam. Neque hîc stetit arrogantis hominis temeritas; sed ipsa Patrum concilia, inclusasque Ecclesiæ canonibus leges corruptæ veritatis arguit: illa verbis publicè, has etiam injectis postea flammis violavit. Nimirum, ut quidquid Pontifici, quicquid peccatorum veniæ, consuetis Ecclesiæ remedijs obtinenda, faveret, id penitus everteret. Fana & profana, veritatem erroremque juxtâ in sui defensione habuit; modò, ne adversarijs, atque in primis Dominicanæ familiæ hominibus, succumberet. Ex his Tetzelius Prieriasque, cum Lutheri aphorismis, ad confutandam audaciam, alios objecissent; plaustris convitiatorum, vicario per illum scripto, onerati sunt. Operam sanando homini frustra admoverunt legati Pontificij Cajetanus ac Miltitius, sapientiâ ac dignitate illustres viri: quorum ille severâ, hic blandâ humanitate inexpugnabilem nequicquam animum pertentârunt. Deindè, Lipsiensi disputatione, congressus cum eodem Eccius, magnæ Ingolstadij famæ Theologus, irritò se labore fatigavit. Cùm Luthero tam absurdum nihil esset, quod ipse defendendi semel admissi erroris gratiâ non sustineret: undè hic ipsa etiam errare Ecclesiæ concilia non erubuit profiteri, nihilque amplius reliquit homini Christiano in controversis S. Scripturæ sensibus integrum, quàm proprii spiritûs judicium: ut si illo subnixus errare non possit, etiam cum tota aberrat visibilis Ecclesia. Quâ dementiâ nescio an queat reperiri crassior.

*LVI. Lutherus scriptis suis passim dominatis, de sua causa desperas. à Franco nico nobilitate erigitur, atque ad Clerum pugnantem ac cenditur.*

Intereâ Lutheri scripta Colonensium ac Lovaniensium calculo damnata, & flammis, illic quidem Carolo Imp. præsentè, abolita, à Georgio etiam Saxonix Duce, Friderici patruele, scriptis ad hunc literis, ab Episcopo verò Misniensi, decreto adversus eorum usum vulgato, infamiam contraxere. Quæ res autorem à scriptis & furore in adversarios concepto, ad rerum suarum desperationem convertisset: nisi metuentem, fugamque ad Hussitas meditantem, Franconia nobilitas, literis, fideque ad defensionem oblatâ, detinuisset. Undè non tantum Lutherus pristinx audaciæ restitutus; sed, confirmatâ nocendi voluntate, machinationem hæcenus arcano pectoris conclusam, denique disjectis verecundiæ religionisque obstaculis, in apertam lucem protulit: ausus, de innovando Christianæ Reip. statu consilia, scripto ad Germanicam nobilitatem explicata, suscipere: atque, ut ex ea homines plerosque feroces ac militares, adeoque in Clerum flagrantes, spe prædæ sibi addiceret; negat Sacerdotium à Christo nato aliud in orbe, præter illud, quod à Baptismo trahitur, reperiri: hoc verò paucorum non esse; sed omnium, qui quidem Christiano nomine censeantur. Congestas deindè curia Romana labes ac dedecora, in unum Pontificis caput detorquet:



quet: ut illum furioso, ac vix fani hominis commento Antichristum esse doceret, cuius, non multò antè, se pedibus per literas, fictâ utique simulatione, submiserat: ne immaturis etiamnum viribus sese adversario potentissimo objiceret. Tantùm scilicet in extrema temeritate consilij supererat, quanquam non ad virtutem, sed flagitia usurpati. Denique ubi jam suâ aliquem audaciæ exitum prospexisset, sparso in vulgus libello (quem Babylonicæ captivitatis præludium dixit) plerisque in Ecclesia Sacramentis exitium molitus est. Datis tamen, modò, ad Moguntinum Præsulem Albertum; modò, ad recens electum Cæsarem literis, humanitatis obsequiorumq; plenissimis, officiosè blandiebatur: ut iisdem animos illorum artibus occuparet, quibus Saxonum Ducem Fridericum virtutis prudentiæquo famâ inclytum ceperat.

Et sanè multorum sibi adungebat studia Lutherus; quòd, ut erat veterator insignis, omnia ad sacrorum voluminum rationem & normam, abolitis, quæ Ecclesiam sædarent, abusionibus, splendide revocaturum se jactaret; neque desissent consecratorum Deo hominum inquinata morum exempla, quæ vulgi offensionem mererentur. Aliam deinde viam, ipse religionis novæ Antistes, planam facilemque Christianè sancteque, ut ferebat, vivendi, ex sacris literis panderet; ubi solâ fide, absque ista tam difficili præceptorum operum ad justitiam via, quam negabat à Christo redemptis necessariam, aut lapsis in Adamo possibilem, cælum credentibus pateret: ut proinde alios umbrata pietas; alios religionis facilitas in præceptis raperet. Neque imperiti modò vulgi, quod, disertissimus ipse Orator, in quamvis partem duceret; sed & doctorum imprimis hominum frequens ad Lutherum accessio. Multis steriles illæ academicarum ex Aristotele, & Angelico Doctore disputationum tricæ displicebant: multis grata novitas, & suspecta antiquitatis fides, tot leviculorum per orbem Christianorum hominum sceleribus obscurata. Verbo, omnis ætatis ordinisque hominibus hamos, escâ cuius aptâ, projecerat: dum, quod quisque in veteri religione odisset, abolitum in nova Lutheri artificio reperiret; alijs virtutis imagine, alijs impunitatis spe captis, prout quilibet, aut vitiorum, aut virtutum traheretur affectibus. Eccius, ubi illam perniciem ad ingentem animorum stragem videret invalescere, flagrans avitæ fidei, pietatisque defendendæ studio, Romam se contulit; ut quàm lubrico in loco Germaniæ salus consisteret, propius summum Ecclesiæ Monarcham edoceret.

Neque segniter adversus Apostatam remegit: siquidem Lutheri doctrinam Pontifex uno & 40 capitibus comprehensam, atque à Romano Theologorum Collegio suis momentis ponderatam, vulgato per orbem decreto Anno salutis MDLXX damnavit, quamvis ejus autorem, gravissimâ obtestatione, ad respiscendum invitaret. Sed Lutherus pari verborum fulmine Leonem execratur, atque ab illo ad Generalis Concilij auctoritatem provocat. Hæc religionis pestis ab anno hujus sæculi septimo ac decimo ad vigesimum, eo quo dixi fonte, latius indies contagionem ruderat. Quo tempore Fridericus, Saxonie Princeps, ad Caroli electionem profectus, Colonia substitit, Ad hunc Caracciolus

LVII.

Multioris  
sibi studia  
Lutheri  
concordia  
bat ob  
corruptâ  
Cleri vi-  
tam &  
professio-  
nem da-  
trina ex-  
verso  
Des pro-  
ponenda,  
Theologi-  
ci & A-  
cademici  
studij  
rationes  
crimina-  
batur.

LVIII.

Lutheri  
doctrina  
41. capit-  
ibus pro-  
posita à  
Romanis  
damnata  
& pro-  
scripta.



An. Chr. & Aleander Romanæ sedis legati veniunt, præfente jam, à recentî inauguratione, Cæsare, obnixè postulatam, ut Pontificium decretum adversus Lutheri scripta exequeretur, hominemque suis præfractè erroribus adhaerentem, meritâ pœnâ, nisi rediret ad mentem, corriperet. Sed Fridericus, ut qui impensè Luthero, studiisque recentis Academiae per illum promotis, faveret, Eccium minùs æquum apud Pontificem controversiæ interpretem fuisse causatus, litis arbitros in Germania legendos contendit, qui rem certius inspicerent, nec tot hominum judicia Lutheri partibus suffragantium temerè condemnarent. Fluctuabat tamen incertâ animi sententiâ Princeps, quòd ad ingentes spectare motus hanc dissensionem intelligeret. Quare Erasmus Roterodamum, maximâ per Europam id temporis scientiarum existimatione florentem virum, Lovanio ad se Coloniam evocat. Hunc familiari adhibitum colloquio sciscitatur: quid de Lutheri disciplina, excitatisque recens in fide controversijs sentiret? Cui dum Erasmus liberè magis, quàm sanctè pronuntiaret: Res Ecclesiæ Romanæ in eo statu versari, qui reformatione egeat; non injuriâ proindè Lutherum varios abusus carpere, quos oscitantia Præfulum invexisset, & quorum emendationem plures boni flagitent. Nec deesse, qui ipsius institutum probent, ab humanis constitutionibus, & Scholasticorum argutijs avocantis. Esse tamen in homine plùs nimio in verbis scriptisque fellis, ac violentiæ; optandum, ut positâ ferocitate, mansuetiùs agat, sibi que à maledicentia, immoderataque verborum asperitate temperet, quibus bonorum omnium offensionem mereatur: verbo, causam non omninò malam, malè tractari. Quæ sic dicta ab Erasmo Princeps accepit, ut nihil in Luthero insyncerum; sed tantum immoderatiores animi impetus, & stylum magis scribentis, quàm aberrationem à veritate reprehendi censeret: adeoque, suâ de Luthero existimatione confirmatus, nihil ex Pontificia legatione ad animum, ac ne ad aures quidem deindè admisit. Legati à Principe exclusi, Imperatori postulata summi Pontificis exponunt, qui nihil in se moræ passus, per Brabantiam, Rhenanosque imperij tractus, ut detestata volumina flammis absumerentur, effecit. Lutherus indignationis plenus, ut vicem adversarijs redderet, jus Pontificium cum ipso Romanæ curiæ in damnationem novæ doctrinæ stricto diplomate, Eccijque atque Emseri adversus illam commentarijs, publico Wittenbergæ busto consumpsit, ingenti quâ Academicorum, quâ populi ad spectaculum invitati concursu: ubi ipse non sine histrionico apparatu, tanquam in scena actor, ad ingestos foco libros, elatâ voce intonabat: *Quia sanctum Domini conturbasti, conturbet te ignis æternus.* Quam deindè tragediam, duobus tribusve Germaniæ locis aliquot Lutheri hypodidascali eâdem fronte luserunt: ne quid infra Cæsarem Romanosque suorum librorum execratores ausus fuisse videretur.

LIX. Intereâ, quâ erat ad agendam rem suam, ab ingenio audaciaque instructus, solertiâ, Cæsaris animum juvenili etiamnum ætate ductilem, gloriæque jam tum, & supremæ magnitudinis fulgore captum, per se officiosissimis literis, perque suorum fautorum blandimenta captabat; quæque Pontificis Romani conciliare possent

Fridericū  
incipi-  
tem Era-  
smus Ro-  
ter. im-  
prudenti  
iudicio  
cōfirmat.

Legati a-  
pud Cæ-  
sariū Imp.  
obtinere,  
ut libri es-  
sus flam-  
mis addi-  
cantur,  
quibus  
Lutherus  
vicissim  
jus Pontis-  
ficiū sub-  
jecit.

Lutherus  
Cæsarem  
datis li-  
teris, hu-



possent odia, fuggererat. Hunc videlicet illum esse, qui Caesaris potissimum felicitatem in electione nupera subruere conatus sit, neque eundem Neapolitanum Regem & Casarem pati queat. Nihil Romanorum Pontificum tyrannide in Germaniam, ejusque Principes hæcenus fuisse intolerabilius, quam plures Imperatores excutere conati sint, avertere, nisi viâ, quam doceat, nunquam possint. Iugum hoc semel abjiciendum, neque Augustis Imperatoribus, quibus omnia jure subsint, ad unius, & abjecti sæpè ad sua flagitia hominis, arbitrium circumagendum. Regum esse populos regere, Pastorum verbo Dei pascere. Rem longè disparem esse, Imperium & Ecclesiam; illud gladio, hanc clavibus servari; illic imperari, hic doceri. Agnoscat Augustum se jam factum esse, qui soli Deo subsit, ceteris præsit universis. His alijsque argumentis, velut machinis, quæiebatur Caroli constantia, non tamen corruerat. Imò Hieronymus Aleander, vir multiplici scientiarum linguarumque facultate excellens, missus à Leone Pontif. ad Casarem, ut sedis Apostolicæ adversus Lutherum causam sustineret, ejusque proscriptiois edictum perurgeret, ubi Carolum Wormatiæ convenisset, humanissimeque exceptus, animum planè in adolescente regium, Orthodoxæque religionis tuendæ satagentem reperisset, suis ad Cardinalem Mediceum literis testatus est: Existimare se, quod à mille annis sincerioris rectiorisque animi Imperatorem Ecclesia non possederit. Ingentibus sibi obstaculis viam intercipi, quæ tamen uno Casare expugnato speret evertenda. Et Carolus Guilielmus Croyus, qui ut pueritiæ moderator Casarem totus adhuc possidebat, auditus est dicere: Talem Casarem futurum Pontificem; qualis Pontifex esset Casari, qui id temporis Francisci æmuli Regis studijs tenebatur: ut hinc Aleandri spes ægresceret. Vicere tamen egregia Hispanorum procerum pro religione studia hunc Croyi, seu verum, seu simulatum languorem. Quamquam non defuerint ex stirpe Maurorum Hispani mercatores, quibus illa arrideret Lutheri novitas, ipsiusque etiam opera Hispanico idiomate Antuerpiæ prælo subjecerint. Quibus præcipua illa Lutheri sententia placebat in odium quæstorum fidei vibrata: *Nefas esse quenquam religionis causâ, quæ cuique libera esse debeat, supplicijs addici.* At præcipua in duobus Germanorum Septemviris, Friderico Saxonum, quem Lutherus occupaverat, & Ludovico Palatino, quem Pontifex ob concessa Ratisbonensibus se invito privilegia, offenderat, tum nobilitate, Ecclesiasticorum bonis inhiantem, ad resistendum autoritas: quibus vulgus passim, novitatis libertatisque promissæ avidum, Grammaticique ac Leguleij, Philosophicas Theologicasque disceptationes perosi, adeò cupidè hærescebant; ut hi scriptis; illi vocibus Lutherum, ceu divinæ veritatis vindicem, cælo inferrent, & hæc tales tantaque adversantium copiarum, Aleandro nonnihil quam desperationem ingererent. Et certè Ulrichus Hurtenus, è nobilitate homo facundus juxta audaxque, scriptis etiam polemnicis Lutheri causam propugnare aggressus, cum rogo hæc designari audisset, non est veritus Moguntiorum Principi denunciare minacibus literis: *Si libris à se conscriptis admoveret flammam, se easdem in ipsius regesturum oppida.* Nec ipse sat ubique turus Aleander, reliquique Pontificij, quod ingenti, hoc apud Germanos nomen, Luthero incendium animante, flagrarerit invidia; ut, nisi præsidio atque

auto-

1521.  
manitate  
erga illi.  
magna  
tione er-  
ga Ponti-  
ficem ple-  
na, fru-  
stra co-  
na ut sibi  
addicere.

Aleandri  
legati Põ-  
tificis de  
Carolo  
judiciũ.

Quorum-  
dam erga  
Lutherũ:  
aliorum  
in Pontifi-  
com affe-  
ctus.

Ulrici  
Hurtenii  
audaciam  
periculũ  
Aleandri.



An. Chr. autoritate munitus Cæsareâ, tutò hac in causâ subsistere non potuisset; opportu-  
 num tamen in dimicatione tam ancipiti præsidium, ab Academia Parisienâ, ad  
 quam Lutherus provocaverat, allatum est, quæ Lutheri theses plerasque gra-  
 vissimâ hæreseos censurâ perstrinxerat: ut ad inexpectatam hanc Lutheri pla-  
 gam haud leviter quaterentur. At pudorem metumque, freti multitudine, jam  
 excusserant, infamesque imagines, & Aleandri etiam ex pedibus suspensi effi-  
 giem, Romanosque cum suo Pontifice Patres inclusos, militum custodia exhibe-  
 bebant, ac minaces in Cæsarem Electoresque spargebant literas, quibus bella  
 necemque intentarent Lutheri damnationem molientibus, jactabantque jam  
 nobilium in armis stare quadringentos, qui sententiæ in Lutherum ferendæ  
 præstolentur exitum. Cùmque ad hoc nuntium Moguntinus concepisset formi-  
 dinem, Carolus Cæsar ad illum versus animosè subjicit: *Murium olim jactasse*  
*in castris Porsena, trecentos suorum esse, cùm solus venisset: videri has umbras, quæ non*  
*sint metuende: jussitque adesse proceres institutæ in diem cinerum consultatio-*  
*ni, quâ Aleander Pontificis nomine audiretur, quem per se Croyumque admo-*  
*nuit, liberè diserteque causam exponeret. Quod ubi à Friderico Saxone intel-*  
*lectum est, valetudinem cautatus, congressu abstinuit, submissis tamen, qui scri-*  
*pto dicta exciperent.*

Caroli  
 Cæsaris  
 imperer-  
 ritus ani-  
 mus.

LX.

Acta  
 Formæ  
 tiensia ad  
 an. Chr.  
 1521.

Oratio  
 Aleandri  
 legati Põ-  
 tificij in  
 Comitijs,  
 qua ostē-  
 sis Luthe-  
 ri perni-  
 ciosis er-  
 roribus  
 proscri-  
 ptionis e-  
 dictū ob-  
 sinuit.

Nec defuit Aleander muneri, qui Lutheri libris diligenter à se collectis, ne  
 quid citra manifesta erroris testimonia assereret, instructus adfuit, ostenditque  
 luculentissimâ oratione, Lutheri doctrinam, articulis 40. & uno ab Apostolica  
 sede damnatam, Orthodoxæ Majorum fidei adversantem, jure à Pontifice da-  
 mnatam, edictoque Cæsareo cum autore suo proscribendam. Utque ex ipsius  
 oratione, quam tribus omninò horis, citra audientium fastidium, est profecutus,  
 nonnulla delibem. *Negat, inquit ille, necessitatem utilitatemque cujusvis nostri ope-*  
*ris, ad cœlestem gloriam consequendam: negat libertatem ad legis naturalis divinæque*  
*observantiam: quin affirmat, quâlibet actione nostrâ, nos ex necessitate peccare. Quod*  
*ex orci armamentario validius telum ad hebetandos cunctos conscientia morsus, ad frena*  
 *pudoris perfringenda, ad honestatem aureis spei calcariibus exarmandam? Quod nocentius*  
 *poculum in fabulis excogitatum est ad homines in belluas deformandos? Cur veteres Sa-*  
 *pientes Epicuri sectam adeò execrati sunt, nisi quodd, quamvis ille divinitatem in cœlo fate-*  
 *retur, negabat ab ea nobis vel pœnas insigi propter delicta, vel præmia rependi propter o-*  
 *perum honestatem? Certè hinc sempiterna felicitas, hinc calamitas, à judice potenti-ssi-*  
 *mo sapientissimoque rependenda, si mentis oculis oberferentur, fulcimenta sunt humana*  
 *virtutis, adeoque civilis etiam quietis. Num fortè spectat hæc doctrina ad Romani Pontifi-*  
 *cis emolumenta? Spectatne ad ejusdem commodum, vis illa Sacramentis à Luthero de-*  
 *tracta gratia assundenda? Quâ persuasione in animis credentium omnis extinguitur fidu-*  
 *cia, nixa divinis illis pharmacis, quæ nostra salutis causâ IESVS Christus suo sanguine in*  
 *cruce conflavit? Quid jam dicemus de potestate inaudita prorsus, Ecclesiæ fontes absolven-*  
 *di, non solum Laicis, sed planè feminis ab eo tributa, præcipuâ veneratione ab ordine Sacer-*  
 *dotali sublata? Quanam impietas vel sacrilegio sadior, vel perturbatione Christiana reip.*  
 *perniciosior, quàm vota religiosa delere, quàm sacrosancta illa federa dissolvere, quæ sexus*  
 *utriusque*



utriusque Regulares intra sacra septa indissolubili nexu devinciunt? Quanam erit rerum 1521.  
 perversio, si irritamento doctrinae sensibus illecebrosa corrupti, vestes illas abjiciant adeo ve-  
 nerandas, templa deserant, prius ob eorum psalmodiam adeo frequentata, enormibus ince-  
 stisque stupris sese contaminent? Prætermitto brutalem illam insaniam, quæ docet Luthe-  
 rus, nefas esse Turcarum aggressionibus obstistere: quippe qui divinam in nos ultionem Dei  
 vindictis exercent. Quod aequè conficeret: nefas esse morbos curare, ne Deo, valetudinem ad  
 noxarum vindictam affligenti impiè resistatur. Sed hæc Lutheri dementia ostendit, quod-  
 nam lumen divinum hujusmodi Prophetæ mentem irradiet, quanam sit charitas illius vin-  
 dicitis libertatis vestra, qui mallet intueri Germaniam à Bizantys canibus devoratam,  
 quàm à Romanis Pontificibus custoditam.

Hæc Aleander, quibus deindè profusâ dissertatione subjecit, quod ad Ponti- Pontificia  
 ficis Rom. auctoritatem, adversus Lutheri effata, propugnandam faceret: quæ Romani  
 hic strictim tangere in proposita mihi brevitate, quàm profèqui, cum illo diser- auctorita-  
 tèm à  
 tèm malui. Provocare asserit Lutherum à Romana tyrannide, quæ aliud creden- Lutheri  
 dum subditis imperet, aliud ipsa perpetret: vanumque hoc esse æmuli commen- multis  
 tum ostendit; cum ex instituto Apostolico præsideat Ecclesiæ non ut tyrannus accusa-  
 Pontifex; sed ut rector, cujus est moderari, pastorque supremus, cujus est divina tionibus  
 oracula subjectis exponere. Siquid Romæ peccetur, & ibidem reperiri homi- onerata  
 nes non vitijs minus, quàm virtutibus (quarum non vulgaria exempla reperi disordi-  
 antur) addictos: ex nota Christi admonitione, doctrinam eorum, non opera nesque.  
 sequenda esse. Malum argumentum bonæ religionis esse, ubi opera plerorum-  
 que doctrinæ respondent: qualis apud Mahumetanos & Lutheri assecclas repe-  
 riatur, quæ cum effrenatæ libidini alijsque cupiditatibus faveat, mirum non  
 esse, si verbis facta congruant. Hoc verò non nisi divinum videri, quod ipsi et-  
 iam Romani Pontifices à virtute devij, in eadem tamen ab Apostolis Majori-  
 busque tradita veritate ac verbi Dei sententiâ perstiterint. At hypocrisin, ait  
 Lutherus, Romæ grassari: ergò, infert Aleander, multi illic synceræ probitatis  
 viri: neque enim inter suorum flagitiorum similes hypocrisi aut simulatione  
 virtutis opus est; nec adulteramus aurum, ubi illud universè corruptum est.  
 Sed jurisdictio principatusque Romanus carpitur: qua verò de causâ? Si nullâ  
 ille potentiâ ac splendore niteretur, quo se pacto orbis, Regesque ad veneran-  
 dum Christi Vicarium, imò cæteri orbis Episcopi, nonnunquam devij revocandi-  
 que, quâ se ratione unius auctoritati submitterent? Nunquid brevi suæ quisque  
 diæcesis religionisque supremus arbiter ac dictator in rebus fidei existeret? Et  
 quid, si idem singuli Pastores in suum ausint Episcopum, quod hic in Romanum  
 Pontificem; quæ obsecro anarchia in universam sese effundet Ecclesiam? At u-  
 ni parebunt Concilio. Unine? an semper illud duraturum, ut controversijs ubi  
 que natis occurratur? Cujus hoc cogendum imperio? quando? quomodo? quo  
 præside? Cæsarene fortassis, & profani id agent Principes? An igitur rerum  
 sacrarum arbitrium ad illos amandabimus, qui ipsi ab Ecclesia in religione ju-  
 dicandi sunt? Cui hi partium adsistent, præsertim, si ut fieri potest, error plu-  
 rimum, pauciorum sit veritas? Nimirum hoc esset decus fidei maximum, for-  
 mam



,mãmque regendi optimam , quæ monarchica omnium iudicio est , nosque  
 ,divino conformat imperio , ab Ecclesia tollere , atque in eam primùm , quam  
 ,Lutherus fingit , Babylonem Romanos , ceterosque fidelium , transferre.  
 ,Verum desiderabunt rursustalem esse Ecclesiam , qualis olim sub Apostolis  
 ,erat. Nimirum Apostoli iam à nobis sublati sunt , qui idem ubique , citra al-  
 ,terius magisterium sentiebant. Alia nunc Ecclesiæ species , velut corpus huma-  
 ,num , cum ætate mutata. Alio infans , alio iuvenis victu habituque utitur , quan-  
 ,tumvis idem sit ; nec rectè hunc jubeas ad infantiam , tanquam perfectiorem ,  
 ,remigrare. Et sane fas erat , ut crescens jam faventibusque Imperatoribus ac  
 ,Regibus propalam dominatura Ecclesia suo in regimine hierarchico profice-  
 ,ret , mores ritusque salvâ fide , novis legibus firmaret formaretque ; ne tot  
 ,aucta regnis , capitibusque , diversis sensibus sententiisque fluctuaret. Quod  
 ,orientalis Ecclesia divulsa à Rōmana sit , non ex eo factum , quod hanc Prin-  
 ,cipem non agnosceret ; sed quod minus formidaret , exercendæ in potestati  
 ,nondum satis roboratam : ut rebelles animat sui principis imbecillitas Mon-  
 ,strosa planè Ecclesiæ unius facies esset , si pluribus illam in terra capitibus ad  
 ,diversa tendentem conspiceremus , aut si corpus quidem videri , sed caput nul-  
 ,lum posset. Optimè sub spectabili unius capitis imperio tantum corpus mo-  
 ,deramur. Verum nimium absumi ab hoc capite , Lutherus impendio alio-  
 ,rum queritur. Cur verò ? Annon vasti corporis caput plus alimentorū requirit ?  
 ,Si suum quæque ditio Principem , eiusque splendorem suis alit impendijs , cur  
 ,Pontifici toti orbi imperanti , tantillum , quantum exigit , in sacros sæpe usus  
 ,templaque Dei impensum , negabitur ? Tot literis , virtute , ac nobilitate præ-  
 ,stantes in hac reip. Christianæ regîa viri , an suis carebunt alimentis præmijs-  
 ,que ? An non totius ad hanc aulam orbis nobilitas , & confluit , & admittitur ,  
 ,Regumque ac Principum filij posthabitâ conjugali vitâ , purpuratorum or-  
 ,dinibus inseruntur , atque , ut propriæ familiæ opus dignitatemque non spar-  
 ,gant , Ecclesiasticam amplectuntur ? Tolle ab hac igitur honestioris vitæ ali-  
 ,menta ornamentaque , & quis aspirabit ? onerabuntur illustres familiæ suorum  
 ,heredum copiâ : destituetur iisdem Ecclesia , utrisque suum decus , istic multi-  
 ,tudine , hic defectu nobiliorum personarum auferetur. Verè hæc pronun-  
 ,tiantur , ipsa nos Lutheri consilia , si effectum sortita sint , docebunt. Deni-  
 ,que post hæc aliâque gloriosè affirmat , ( ipsius iterum verbis loquar ) *Nulla alia*  
*natio adeo vel maxime abundat literis , quia supremum obtinet principatum , atque in*  
*eo tam sublimes gradus , quibus tanquam præmijs propositis , ad Palladis studia non Martis*  
*aspirat. Si ( ut paucis multa cumplectar ) universum terrarum orbem circumspicemus ,*  
*nulla nobis occurret resp. aut felicior , aut exelsior , aut ornatior eis dotibus , quæ supra*  
*belluas hominem evahunt , ipsique Angelis admovent , quam Christiana communitas ob-*  
*temperans Romano Pontifici ,*

*Quare primum ac precipuum ex capitibus à me propositis ita concludo. Si Lutheri*  
*pernacia , uti jam vobis exploratum est , id enititur , ut Christianæ religionis cardines*  
*divulset , sublato mortalium operibus respectu supplicij præmiique celestis , sacramentis*  
*venera-*



veneratione, votis solennibus custodiâ, fidei, sacroque Christianorum principatui unitate, atque id expellendo funditus ex animis pietatem, atque à cœtu mortalium felicitatem, ubicunque illius doctrina lues afflatur, qua lues adipi sensuique infusa, adeò tenaciter, ut indies experimur, populos corripit, adeò longè latèque per eos grassatur, liquidò apparet, opus esse remedijs presentissimis, ut opprimatur. Animadvertit id perspicaciâ singulari Maximilianus Cæsar, suisque literis Romanum Pontificem stimulavit, ut proserpenti heresi suarum definitionum autoritate, obviamiret, pollicitus se per universum Imperium eas pro virili promoturum. Hac permotus fiducia Leo X. non dubitavit sacrosancta sua tela ad pugnam educere, & Apostolico studio suas omnes partes explere. Nolet enim vero Carolus despectâ sententiâ, violatâque promissione decessoris & Avi, Pontificem impiorum ludibrium deserere, ingensque illud incendium sibi præsens negligere, cuius vel prima scintilla tantum Maximiliano ardorem intulere.

His dictis ostendit, Edictum Cæsareum, velut præceptum in Lutherum telum requiri; cum lenissima quæque remedia, à Pontifice eiusque legatis adhibita, nihil profuerint, universaque, ceu desperatus in morbo æger, reiecerit. Nec difficile illi fuit, hac in re Principum, tam insolenti doctrinæ novitate offensorum, adeòque & Cæsaris, assensum obtineri. Qui oblatas tum fortè literas, nec lectione quidem dignatus, repente concisus Aleandro obrulit. Fridericus verò Elector, offensione ex productis Lutheri scriptis sententis que cognita, ut ictum declinaret, negavit ea Lutheri videri, sed adversariorum tantum odij in hominem concinnata, ideòque inauditum indefensumque jure damnari non posse. Porò Aleander veritus, ne, quod ipsi Româ veritum, ad disceptationem de fide in secularium confessu res adduceretur, id tum in præsentia talium, tum adversus hominem, qui Philosophiam canonesque & Ecclesiasticum totum ordinem respueret, fieri omnino posse negavit; imò nec audiendum quidem, nec fidem dandam jam publicâ Ecclesiæ damnatione perstricto contendebat.

Verum mediâ itum viâ est; ne injuriâ proscriptus jaçtaretur. Accersitus fide publicâ, & misso Caduceatore Imperatoris, Caspare Sturmio, tribus ipse stipatus Schruffio, Ionâ, & Amsdorfio socijs, ac mille datis à nobilitate equitibus adfuit, fronte habituque ac moribus multum à concepta de ipso modestia ac sanctitate (ut cuius imago jam radjis verticem ornata circum ferebatur) dissimilis; cumque in Cæsaris præsentia, nec fingere quidem verecundi modestique hominis vultum vocemque posset, ille ad Principes versus dixit: *Hic sanè, ut ipsius religionem amplectar nunquã effecerit.* Admissus postridie XVII Aprilis ad comitia, ab altero Ioanne Eccio Archiepiscopi Trevirensis vicario, eruditione clarissimo rogatus primò est: num libros suo vulgatos nomine, quorum inscriptionem prælegit, à se profectos agnosceret: cumque annisset, iterum rogatur; an in his contenta tueri velit; an abolere religioni majorum contraria? Hanc postulationem cum Lutherus graviolem affirmaret esse, quam ut extemporanea responsione expediri posset; deliberandi sibi moram gratiamque fieri petijt. Dimissus igitur, hac de re iterum postridie audiendus. Adfuit non imparatus, & prolixo

Principes  
in edictis  
proserpiti-  
onis con-  
suetudine  
Fridericus  
tamen  
saxonis  
intercessio-  
ne f. 17.  
ut Lutherus,  
antè  
publicâ  
fide accerso-  
sus, au-  
ditur.



An. Chr. verborum ambitu responſionem ingreſſus, conſcripta ab ſe volumina ad tripli-  
cem claſſem revocavit, quarum una dialecticè, ad rudis populi informationem,  
de veræ pietatis fideique doctrina concepta, nihil Chriſtianiſ moribus adverſa-  
rium traderet; ut proindè ab illarum ſententia, niſi prodita veritatis reo, deſle-  
ſtere non liceat. Alteram claſſem, ait, Pontificios, & Romanæ nomen religio-  
nis, multis fœdatum ſceleribus juſtâ reprehentione perſtringere; undè laudem æ-  
ternitatemque mereri debeat. Tertiam Polemicam eſſe monuit, in Antagoni-  
ſtas Romanæ impietatis deſenſores inſtructam, acrioribus fortalſe armis reme-  
dijsque, quàm à Chriſtiano, aut religioſæ profeſſionis homine; ſed dignas adver-  
ſariorum furore cenſuras mitigandas abolendasque non eſſe, ne illorum inſa-  
niæ contra æquitatem favere exiſtetur. Non tamen diſſiteri ſe hominem er-  
roribus obnoxium, qui ſicubi adverſus veritatem impegerit, non detrectare  
ſpongiam libris ſuis, aut etiam rogum: modò errorès illi ex Prophetiſ atque  
Apoſtolicis ſcriptis doceantur. Hæc loquentem Eccius admonet, minùs ad pro-  
poſitum hos verborum circuitus ſpectare, preſſius ſimpliciſque reſponſum po-  
ſtulari, quo retractationem adverſus priſtinam religionem ſcriptorum aut ad-  
mittat, aut rejiciat. Tum Lutherus: quoniam ita Cæſarea Majeſtas velit jube-  
atque, reſponſione ſe neque cornutâ, neque dentatâ uſurum: niſi manifeſtis ſa-  
cræ Scripturæ teſtimonijs, & apertis dilucidis que rationibus convincatur, nec  
poſſe ſe revocare, nec velle. Pontifici Romano Concilijsque, utpote errorum  
contradiſtionumque manifeſtè reis, fidem ſe nullam debere.

LXII.  
Eube-  
rus fru-  
ſtra ar-  
guitur,  
ac perfra-  
ctè reſi-  
ſit.

Post hanc reſponſionem Cæſar Principesque ad communicandas concilij ra-  
tiones digreſſi, Eccio reſponſionem mandârunt, qui Lutherum primò neglectæ  
erga Cæſarem Principesque inter reſpondendum reverentiæ arguit: deindè te-  
meritatis, quâ unus ipſe conciliorum autoritati, tot hominum ſeculorumque  
conſenſione probatæ, reclamare auſit. Libertatem hanc eſſe carpendi nulli pru-  
dentum tolerandam, qua ſemel admiffâ, neceſſe ſit omnem retrò antiquitatem  
religionemque indubitatâ hætenus veritatis poſſeſſione dejicere. Velle igitur  
rogareque Cæſarem; ut ab erroribus vulgatis ſe recipiat, fore, ut cetera in libris  
ipſius inviolata perſiſtant. Tum Lutherus ad Cæſarem obſecrando ver-  
ſus, ſuam ut ſibi conſcientiam ſalvam integramque tueri liceret, orabat: reſpon-  
ſionem minimè ambiguum ſe dediffe, ab hac dimoveri non poſſe; cum prom-  
ptum ſibi ſit concilia falſitatis convincere. Hanc, obnitente viciffim Eccio, nox  
altercationem diremit.

LXIII.  
Cæſar ſuâ  
ſententiâ  
ſcripto cõ-  
plexus,  
ad Con-  
cilium  
poſtera  
luce  
trãsmi-  
ſit,

Cæſar altera die, quòd pertinaciam hominis præfractè obſiſtentis frangendam  
deſperaffet, ipſe non eſt reverſus; ſed animum ſuum ſcripto manu propriâ exa-  
rato Ordinibus in hanc ſententiã expoſuit. *Genus ſe ducere à Chriſtianiſſimis  
Germanicæ nationis Imperatoribus, à Catholicis Hiſpaniæ Regibus, Austria Archiducibus,  
Burgundiæ Ducibus, quorum in Eccleſiam Romanam fida & conſtans voluntas, Orthodoxæ  
religionis, ſacrorum rituum, legum morumque indefeſſa propugnatio, ſuis monumentis or-  
bi etiamnum ſit nota. His quidem fato ſunctis, poſſeſſionem non minùs regnorum, quàm  
apitæ*  
ſit, qua inſiſtendum religioni Majorum pronuntiat.



avita religionis ad se curam pervenisse. Decretum sibi esse viventi morientique laudatis Majorum vestigijs insistere, neque degeneri consilio à rectè cœpta religione deslectere, aut Constantiensis, aliorumque conciliorum placitis adversari. Cùm fratrem unum, suo obstinate ingenio fissum, hallucinari, multò sit evidentius, quàm tot ante nos seculorum viros religiosissimos, prudentissimosque, à quibus tanto intervallo opinionum abeat; ut necesse sit, aut omnes retrò Majores nostros, à primis suscepta religionis nostra incunabulis, atque universum nomen Christianum erroris condemnare, aut Lutherum non absolvere. Eam ob rem, deliberatum sibi esse, omnes tam impijs conatibus vires obijcere, regna, imperium, amicos, corpus, sanguinem, vitam denique ipsam impendere; ne cœpta animorum contagio longius serpat. Neque enim ferendam hanc ignominia labem, quæ suo Principumque nomini per omnem deinde posteritatem adhaesura esset, si, aliquâ illorum negligentia aut pravitate, hæresis Germaniam occupasset. Penitere jam nunc lenitatis, quâ perditissimo homini veniam hætenus tempusque dederit, quo perfidia robur adderet. Non audiendum abs se imposteros: curandumque, ut quamprimum urbe facessat, neque fidem sibi datam, prohibitis in via concionibus, primus violet. Hostis porro, ac perfidiosi hominis loco sibi illum futurum: à Principibus verò expectare, ut æquitati ac Christianæ dignitati convenientia statuatur, ne indulta perfidia animum viresque indulgendo faciant. Lecta in comitijs Imperatoris sententia, laudataque, variâ in vulgus affectuum concitatione manavit, prout Lutheri rebus quisque animum expectationemque in favorem vel odium impenderat.

Spargebantur seditiosorum hominum voces, timidiùs quidem verbis, at scriptis liberiùs, quibus arma Pontificijs intentarent, & cierent plebis studia. Voces illæ passim ædiùm valvis inscriptæ legebantur. *Va terra, cujus Rex puer est.* Magna hic Poëtastris quibusdam, genere, quàm stylo nobilioribus, Hutteneo Franconi, & Buschio Westphalo, non fingendi tantùm; sed & audendi licentia in Theologos præsertim, Romanæque curiæ viros usurpata fuit: quorum acerbitatem etiam Cochlæus Francofurti ad Manum Decanus vir religiosissimus, & tulit, & contempsit fortissimè; cùm huc accurreret, ut Luthero ad saniora consilia traducendo operam daret. Sed & nobilium arma per Franconiam Lutheri patrociniò expedita esse ferebantur; ut Principes metu tumultuum solliciti, impensius hominem omni humanitatis, rationisque artificio urgendum impellendumque censerent; ne malum, post tentata frustra remedia, aufereret.

Triduum in hanc rem à Cæsare, pertinacem A postatam averfante privata solum collocutioni ægrè est impetratum: Richardo à Greiffenclaw Trevirensi Septemviro, & Joachimo Marchioni Brandeburgico, alijsque nonnullis Germanorum procerum hic labor permissus est. Ille suo hospitio exceptum Lutherum per Hieronymum Vaum, juris humani divinique consultum, allocutus est: monuitque humanissimè, temperaret illis vocibus, quibus tot seculis nationibusque probatam Conciliorum autoritatem convelleret: honoris, conscientia, salutisque sua rationibus consuleret: videret, quò se, quò imperij Ecclesiæque totius incolumitatem precipitem ageret, nisi temerè cœpta tempestivo etiamnum consilio abrumperet. Ad hæc Lutherus: Non

LXIV.

Illis sum  
Cæsari &  
Catholici  
per Luthero  
theranos.

LXV.

Triduo  
adhuc in-  
tegro per-  
dierat  
Principes  
in primis  
que Tre-  
virensi  
pro redi-  
tione Luthero  
frustra labor-



Ann. Chr. illum esse, cui illa Principum benevolentia ac cura debeat: neque eò temeritatis prolapsum, ut omnibus Concilijs abnuntiet. Constantiense se tantum perstringere, quod Hussum damnet, asserentem, Ecclesiam cœtum esse predestinatorum, sanctamque habendam, ex qua improba vita homines, quamvis Baptismate fidelium adscripti numero, malitiã rursus suã excidant. Quæ cum non Hussò tantum, sed Dei ipsius testimonio adversentur, nullã suã suffragatione tolerari probari posse. Hæc ille contra omnes pertinacissime tuebatur, quamvis adversaria pars sacrarum sese literarum patrocinio tuebatur: quod Apostolus Ecclesiam domum militantem esse statuat, in qua censet alia vasa in honorem; alia in contumelia: Christus illam agro comparet, triticum zizaniaque progeneranti: Sagena, ex omnium piscium genere congreganti: Virginibus decem, alijs satus, alijs sapientibus. At Lutherus sponsam, macularumque expertem vocabat Ecclesiam inviabilem Electorum, à qua flagitia omnia iccirco cupiebat amota; tum ut statum Ecclesiasticum quorundam sceleratorum vitio infamem suã sede deiceret: quo nihil ad nobilitatem vulgusque, huic ordini, ex vitæ disparitate parum semper benevolum gratius emanare poterat: tum ob visibilem Ecclesiam, tanquam erroribus obnoxiam, in sui defensione rejiceret iudicem, atque ad inviabilem Electorum se suosque solius testimonio conscientie & S. Scripturæ fretos, transferret. Ita multorum favore applausuque Lutheri obstinatio adversus omne remedium invaluerat.

LXVI.

Scripta  
sua nulli  
hominis  
iudicio,  
nisi ex  
verbo

Dei scri-  
pro pro-  
feratur,  
vult sub-  
judici, more  
hæretico-  
rum, qui  
suo hinc  
sententiã  
iudicio  
depromit  
asserentes  
Scriptura  
esse, quod  
est pro-  
prie ca-  
pituli deli-  
tationi.

Ultimo igitur in hoc confesso ab homine postulatum, ut scripta abs se Ordinum Cæsarisque iudicio vellet submittere. Ad quæ Lutherus, nullius se hominis iudicium, inquit, subterfugere, modò ex Dei verbo & sententiã definiatur. Ita ex publica hac deliberatione à Trevirensi Antistite ad privatam, magisque familiarem consultationem Lutherus deductus est, ubi illum Eccius admonuit, de verbo Dei frustra ad sui defensionem pertracto: Clypeum hunc esse omnibus re-  
tro hæreticis usurpatum: neminem repertum hæcenus, quantumcunque insanã sentien-  
di vertigine, ab orthodoxa Ecclesia veritate aberrantem, qui sua opinionis patrocinium ex  
sacris voluminibus non accersiverit. Nihil esse, quod perinde defensum integramque cu-  
piat Romana Ecclesia, quàm sacrarum literarum auctoritatem. Insisteret porro illis, neque  
hæc toties, cum insigni Principum injuria, repeteret, ut verbo Dei inniti liceat, quod nemo  
sanus recusandum duxerit, omnium etiam vocibus postuletur. Ne sibi cum Hussò, tot sapi-  
entium virorum consensione, tanquam Ecclesia divineque Scripturæ subversorem, publico  
anathemate damnato, quicquam commune velit esse: aut existimare, uni sibi traditum de  
cælo rectè ex sacris monumentis intelligendi sensum, tot antè Concilijs Patribusque igno-  
ratum. Ad quæ Cochlaus non multum diversa interponebat. Altera dies, quæ  
erat Aprilis XXV eodem, sed tamen irritò conatu, apud hominem sui propositi  
tenacissimum est traducta. Quæsitus denique (quod ab Aleandro graviter, &  
tanquam Pontificiæ auctoritati derogans acceptum est) Nunquid Ordinum Cæsa-  
risque arbitrio submissurus hanc controversiam esset? Respondit: Non esse confidendum  
in Principibus, filijsque hominum, sacra Scriptura hæc iudicis magistrisque officium dese-  
rendum esse. Sed, quòd ab hac iudicium expectandum negarent, cuius sententiã  
in controversiam traheretur, rogarunt: Nunquid, Concilio in hanc litem disceptatio-  
nem



nem arbitriumque vocato, acquieturus esset? Annuit ijs legibus, ut dicenda per Concilium sententia ex sacris literis desumeretur. Cumque hanc ejus voluntatem acciperent alij, monerentq; rectè sibi fideiq; consulere si sacra Scriptura sententiam, plurium potius, quam unius judicio eruendam censeat: æquum fore igitur ut, decisâ nondum controversiâ, in scholis templisque disputatione absteineat. Id quidem facturum se primò non abnuitt; sed cum Archiepiscopus vocatum iccirco Lutherum omni humanitate acciperet, remotisque arbitris concessorum memoriam revocaret: lubricam hominis, mox admissi concilij auctoritatem moramque detrectantis, fidem est admiratus. Ac denique ipsum Lutherum Principum conciliorumque placita averfantem, iussit rationem litis componendæ suggerere. Qui aptiorem sibi nullam videri illâ Gamalielis sententiâ asseruit: *Si ex hominibus est consilium hoc, aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo, dissolvere non poteritis.* Quo dicto non minus Arianismum ac Mahometismum, atque iptumet idolorum, ab orbe penè condito grassantem cultum, velut Dei, non humanæ malitiæ inventum tuebatur. Adèd vehementer despicit, qui in S. Scripturarum interpretatione sibi soli contra reliquos Doctores sapit. Animadversum igitur est, frustra adversus obfirmatæ sententiæ hominem rationibus pugnari, cum ad roborandam potiùs, quam infringendam perfidiam facerent, non secus atque in corrupto jam stomacho saluberrimi etiam cibi morborum sunt alimentum, tantò nocentius, quantò copiosius obluccante appetitu ingeruntur.

Lutherus  
Concilij  
etiam ex  
S. literis  
definitur  
sententiâ  
subterfugit.

Re igitur jam desperatâ, Lutherus indemnis per Fecialem Cæsaris Sturmium reductus est: quamvis Carolo suatum, detinendum in captivitate hominem, qui indemnitate promissæ leges, seditiosis per viam concionibus primus violasset. Sed maluit Carolus in Luthero manere impunitam, quàm sibi leges vindicanti perfidiam imputari. Fridericus verò Elector, pro sua in Apostatam benevolentia, cum proscribendum Cæsaris mandato intelligeret, ut discrimini anteverteret, duobus ex fida Lutheri nobilitate ejus in via abducendi, ad aliquam suarum arcium (nec sibi quidem designandam, ut profiteri ignorantiam posset) negotium commisit. Hi larvâ recti, Lutherum, fraudis non ignarum, seorsimque evagantem, velut ex insidijs haud procul Isenaco aggrediuntur, perque silvas & avia ad castrum Wartbergum abducunt; ubi lautâ novem mensium captivitate, ipsis etiam arcis custodibus ignotus delituit, ex hoc denique secessu tanquam per cuniculos ad Germaniæ subversionem erupturus. Manavit repente à socijs itineris fama, Lutherum per vim abductum, violatamque à Cæsare datam homini fidem. Quæ res principio haud leves adversus Carolum concitavit animorum motus: Pontificijs nuntijs in extremo etiam vitæ discrimine positis: donec sagaciores ad dolum, Friderico licet renuente, penetrent, intelligerentque, Lutherum hâc viâ non ereptum Germanis, at servatum. Certè unius Friderici exstigmatio, & apud Carolum veneratio, ut cujus potissimum consilio ac concessione delatum ad se imperium possideret, tam Cæsarem, quàm Principes continebat, ne in Lutherum ejusque fautores acerbius, quàm per sola decreta adverterent. Nam convictus per idoneos testes de violatis impunitatis promissæ legibus, attineri plectique ex jure poterat; at Friderico, non sibi Luthe-

Lutherus  
incolu-  
mis re-  
mittitur.

Electo-  
illum pe-  
riculo  
vafre sub-  
ducit.

Schlei-  
danus l.  
3. ad an.  
21.  
Cochlæ-  
us in vita  
Lutheri.  
Aleander  
ep. 31. ad  
pud Pa-  
lav l. 1.  
c. 28.  
Luthero  
in Frideri-  
ci gra-  
tiam par-  
tium offi-  
ciorum.

LUS



An. Chr. rus hanc gratiam libertatis debuit; si tamen gratia existimanda est, ad seditionem scelusque augendum reservari. Recurrebat etiam multorum animis, quantum Fridericus hac in propugnatione, admissio, quod deferebatur, imperio, auctoritatis potestatisque habiturus fuisset. Quod recusaturus non fuerat, nisi animo etiamnum fluctuante in Lutheri defensione, hanc delata majestatis vim potentiamque minoris aestimasset; ut credibile sit, his in comitijs non minus illum de recusato imperio, quàm Luthero non exaudito indoluisse.

Vehementer tamen Imperatoris, omniumque si paucos dempseris, Principum animi Lutheri pertinaciâ offensi sunt, quod in sua doctrinâ dijudicatione, neque Romanæ Ecclesiæ, Pontificique, neque Cæsari ordinibusque nec concilijs denique, vel antecedentibus, vel secuturo se vellet submittere, liberèque pronuntiaret, omnes errori obnoxios esse; ut si ipse solus plus in verbi Dei intelligentia atque interpretatione saperet universis. Et quamvis ipse profiteretur, auditurum sese, quidquid ex S. literis pronuntiarent; replicantibus tamen, quis in scripturarum controverso sensu Judex esset futurus; cum ad verbum Dei recurreret, apparebat proprio illum scripturarum intellectu, contra omnes velle insistere, quod erat suam unius judicium, omnium judicio, hæreticorum more, anteferre. Quæ cum intolerabilis universis arrogantia visa fuisset, accerbissimâ illum decreti sententiâ proscribere, quam mox exhibebo, ubi meam in proposita dissensione mentem, quæ sæpe ab historicis exspectatur, ante exposuero. Suspectam non paucis Romanorum causam faciebat, disputationis publicæ, ad quam ubique Lutherus se offerebat, detrectatio. Hanc neque Caietanus subtilissimus Pontificiorum Theologus, neque Aleander in omni scientia facundiâque spectatus, admittebat: Roma certis de causis vetante, præcipuè ob plerosque, inter Germaniæ Proceres, qui auditores iudicesque futuri videbantur, Theologicarum rerum imperitos, & Romanæ sedis auctoritati non admodum fauentes. Hos, si res Luthero cecidisset ex voto, plausumque, ut erat disertissimus, tulisset; arbitros probasset; sin, repudiasset velut divinorum ignorantes, ut re ipsa Trevirensium Archiepiscopo respondit, quæsitus, num Principum arbitrio se vellet submittere? Nolite, inquit, considerare in Principibus ac filijs hominum, in quibus non est salus. Quod si plausum, causâ speciosè defensâ, quantum vis improbâ meruisset, totius Germanicæ nationis inclinatio, ut hæc in libertatis ostensæ patrociniûm prona est, metuenda erat. Non possum igitur hanc Potificis, eiusque legatorum cautelam improbare; Præsertim cum iniqua ab eis exigentur, ut videlicet Lutherum oppositis ex scriptura argumentis erroris convincerent, & sic probandæ veritatis onus simul in se reciperent, ut nuper Lipsiensi disputatione inter Eccium Lutherumque susceptâ, patuit. Vnde securiori viæ insistendum congressuris fuisset. Quod factum esset, si eâ ratione, ad quam omnino doctrinæ assertor, contra receptas in Ecclesia fidei assertiones tenetur, cum Luthero decertasset. Hoc est, ut vel formalibus scripturæ verbis, quibus nulla alia scripturæ, in sensu contrario opponi verba possent; vel immediatis in vicis que

Vehementer sua perinania superbia quo, quâ omnino abbas, conciliandi media, offendit.

Romanorum causa ob disputationem cum Luthero declinatam quibusdâ, sed immo vitio, suscipienda erat



ex eadem scriptura consequentijs, quæ definitâ illius sententiâ niterentur, articulos suos Romanæ doctrinæ adversantes, tueretur. Ad hæc enim ex suis-  
 met thesibus legibusque adstringebatur: non minus, quam qui civem Roma-  
 num sua deicere poss. sione cogitat, ad probationem juris à se prætenfi tene-  
 tur; non obligato ad ullam demonstrationem sui juris cive; ut quem sola  
 possessio abundè tueretur. Et verò inter tales susceptæ disputationis terminos  
 Lutherus, nec inter rudes quidem scripturarum stare poterat, cum, neque  
 ad hunc quidem diem, ullus Protestantium, oppositus Romanæ fidei in sub-  
 stantia rerum credendarum, articulus eisdem scripturæ sacræ vobis produci  
 potuerit; immurâti verò nulla fides haberi tutò possit. Hoc igitur pacto ipsius  
 vanitas paucissimis explosa patuisset. *Euge Luthere: Tuos in scriptura, quæ desi-  
 niti sensus sit, neque per aliam scripturam oppositam limiterur, articulos exhibe: aut  
 si formalibus id verbis illius nequis, fatere te discursibus consequentijsque ad hanc rem hu-  
 manis, hoc est, fallacia expositis indigere.* Et hîc quidem sisti poterat, cum non pos-  
 set negare, se, ut ceteros mortalium, hominem in argumentando errori ob-  
 noxium. Quod si tamen Syllogismos admittere placuisset, formandi illi ex  
 solis propositionibus verbi Divini erant; ut nulli contradictioni exceptioni-  
 que paterent. Hoc pacto præcisi alijs omnibus solâ tantum scriptura, aut apo-  
 diciticis syllogismis, ab uno alterove Doctorum (quales Eccii esse poterant)  
 Lutherus in tota comitorum coronâ, non ambiguâ victoriâ concidisset, repres-  
 sa jactanti â quâ invincibilis ferebatur. Neque enim possibile est, quenquam Ca-  
 tholicæ fidei doctrinæ adversantem, hæc probandi viâ subsistere. Neque alia cû  
 hæreticis facilè congregiendum est: ut qui plerumque ex plausibili aliqua, sed  
 non absoluta, scripturæ S. sententia suæ capiunt defectionis argumentum.  
 Vnde ad cavendos hosce socpulos Luthero necesse fuit plures etiam ex S. libris,  
 ac quasdam Apostolicas literas Pauli & Jacobi, proximeque antè exaratos  
 Machabæorum libros rejicere; quòd suas ab his theses manifestè nimium cer-  
 neret everfas, tum verò implorare Grammaticorum, ut Melanchthonis alio-  
 rumque subsidium, qui ad Græcorum ac Hebræorum orientales linguas, tan-  
 quam fontes veritatis, homines avocarent, ut tanquam ex latebris, impunitus  
 suas inde interpretationes eruerent; sed postquam animadversum est hinc mul-  
 tiplicari extendique magis S. scripturæ sensus ut, nisi Ecclesiæ Patrumque judi-  
 cio nequeant definiri, timidius longè in hac parte versantur. *Que hoc  
 loco non ad correctionem factorum sed quorundam cautelam temerè in quam-  
 vis se cum hæreticis disputationem immittentium adducere placuit, alibi à me  
 locupletius demonstrata. Ut ut causa demum cum Luthero peracta sit: quod  
 comitorum de ipso iudicium fuerit, ex paucis edicti contra illum promulgati  
 lineis constabit. Nam Cæsar, postquam sui muneris esse dixisset, hæresim im-  
 , perio sese infundentem, post Leonis X. Pontificis spretam à Martino Luthero  
 , commonitionem, avertere. Hunc, ait convocatis sæpius Reuerendissimis S. R. E.  
 Cardinalibus, Episcopis & alijs Prælati, nec non Regularium Ordinum Prioribus, seu  
 Ministri*

1621

Cum hæ-  
 reticis  
 non nisi  
 certâ cau-  
 sione, &  
 ratione,  
 disceptan-  
 dum.

Dcretū  
 proscrip-  
 tionis in  
 Lutherū  
 cum ad-

H

junctis causis. consuraque gravissimâ Germania Principum.



An. Ch. Ministris Generalibus, accersitisque pluribus scientiâ & probitate præstantibus viris, & in omni doctrinarum & linguarum genere eruditis, ac diversarum Christianarum nationum doctoribus & Magistris, prædicto tamen Martino prius vocato ac citato, ac in contumacia persistente, ipsius scripta, ut perniciofa & fidei vnitarique Ecclesia contraria, autoritate sua Apostolica, præfatorum ad hoc accedente Cardinalium consilio & assensu, ac Episcoporum & Prælatorum, Doctorum & Magistrorum matura deliberatione, damnasse Lutherum, perinde ac in manifestam Ecclesiæ perniciem surens rueret, quod complures acervatim libros, non modò novarum, sed etiam à sacris concilijs olim condemnatarum, hæresum plenos divulgaret: extremam vñctionem cum Wicleffo fictionem diceret: liberum arbitrium prorsus nullum esse, sed omnia certâ lege stare, ex Manichei quidem, & ex Wicleffi penu depromeret & tanquam irrefragabili argumento Doctorum carminibus confirmaret. De purgatorio & animarum, quæ in eo expiuntur statu, deque divini sacrificij, & veniarum suffragijs: quæ à nobis fideles defuncti expectant, cum Waldensibus & Wicleffitis, contra Ecclesiam sentiret. De Ecclesia verò ipsa militante, cum Pelagianis & Hussitis, sacrosanctis concilijs palam contradiceret, & pro suo arbitrato detraberet: Concilium Constantiense synagogam Satana, quique in eo convenerant, & Ioannem Hussum comburi iusserunt, Sigismundum vtiq; felicitis recordationis Imperatorem, & sacri Imperij Principes, Antichristum, & suos Apostolos, homicidasque ac Pharisæos vocaret. Et, ne omnia quæ innumerabilia sunt Lutheri errata singularim percenseantur, tanquam si hic unus, non homo, sed Diabolus ipse, sub hominis specie,

Hæc Sebastianus ad perniciem humani generis: assumpto Monachi cucullo, quam plurimorum hæreticorum damnatissimas hæreses, jam diu sepultas, in vnam sentinam congererit, & aliquas etiam nouissimè de suo excogitauerit; sub simulatâ prædicatione fidei, quam ad prætexendos suos dolos tam sæpe, tantòque opere objicit, fidem veram prorsus destruere, sub libertatis, quam promittit specie Diaboli jugum & servitutem inducere, & sub Evangelicæ prædicationis nomine, omnem Evangelicam pacem & charitatem, omnemque rerum ordinem, & pulcherimam denique totius Ecclesiæ faciem invertere, labefactare, & penitus pessundare. Quocirca demum ex Imperiali & Regia autoritate, necnon consilio & assensu Electorum, & omnium S. R. I. Principum, Ordinum & Statuum, Martinum Lutherum, ut membrum ab Ecclesia Dei alienatum, ut obstinatum schismaticum, & notorium hæreticum habendum esse decernit, denunciatisque gravissimis pænis vetat, ne quis eum recipere, tueri ac fovere dicto factoque, aut scripto præsumat. Quin imò subditis præcipit, ut contra eum vbiicumque deprehensum, post xx & unum dies procedant: eiusdem Martini complices festatoresque cum bonis universis occupent, atque in usus suos pleno jure convertant, scripta typisque vulgata Lutheri dogmata nec admittantur nova, nec vetera ad usum retineantur, caveanturque famosæ imagines, chartæque ac libelli, & cuncta ejuscemodi igni mandentur. Denique nihil à quocumque, seu calographo, seu typographo, quod de fide aut S. literis tractet, citra approbationem, constituti publice censoris, & facultatis Theologicæ autoritatem, proferatur.

Hæc sanctè severèque decreta, tranquillitatem Germaniæ, laudemque Casolo haud vulgarem paritura videbantur, nisi minor in exequendo, quam

Sed abeunte in Hispaniâ Casare neglecta decreti executione est.



mandando Cæsaris vis potestasque fuisset. Natæ jam per absentiam Regis in Hispania, ob Ministrorum exteræ gentis avaritiam ( ut ferebant æmuli ) turbæ seditionesque ad extrema bellorum remedia prolapsæ Carolum revocabant, idèdque ex lege veteri Germanorum, imperii administratio penes duos septem virorum Saxonem & Palatinum, utrumque Pontificiæ sedis hostem, & Lutheranæ factionis amicum, relinquenda erat. Quibus licet Cæsar Ferdinandum Fratrem, tamquam suæ potestatis addidisset vicarium, hic tamen per ætatem autoritatemque accipiendo magis, quam dando consilio imperioque idoneus, regendo, quam recturo propior adjungebatur. Ceterum ardens Cæsaris in surgente jam hæreseos flamma reprimenda eminebat studium, adeò ut Joanni Glapioni ex ordine D. Francisci suæ conscientiæ arbitro, Wormatiæ incumbens paulò ante edictum fenestræ, dextra pectori admotâ dixerit: *Sanctè promitto, illum, qui se, post Edictum vulgatum, Lutheranum proder, ex hac fenestrâ suspensum iri.* Vnde etiam quâ per Germaniam Belgiumque rediturus Carolus, legatis Pontificiis adhærentibus, incedebat, quidquid ubique reperiri poterat scriptorum Lutheri, Carnificis manu, flammis publicis consumptum est. Gandavi, cum inter quinquaginta pænè hominum millia, eiusmodi ad spectaculum rogi compositis esset, Cæsar ipse subridenti ore scenæ applausit, in qua tamen auctorem prælibris videre maluisset, ne funestior ab illo Germaniæ ignis infunderetur, qui suppressus illic magis quam extinctus, facile, admoto rursùm, tanquam folle, Luthero, exarsurus credebatur. Jam enim accensa quorundam Principum erga Pontificem & Ecclesiasticos odia, qui horum inter opes quietemque felicitati atque honori invidabant; tum nobilitatis, promiscuæque multitudinis inclinata Luthero voluntas, vim metumque edicti Cæsarei elidebant, cum plerique tam suavi religionis novæ degustato toxico, velut lethargo quodam confopiti, sui morbi mortisque ignari, obstupescerent. Quibus malis sopiendis vix remedium sese offerebat, cum neque affusum lenitatis oleum, neque admotæ severitatis flammæ sufficerent. Sed nec ætas potestasque imperatoria satis in Carolo maturuerant, qui si eadem, quâ erat jam tum animi alacritate, virium simul potentiâ, martio juxta graphicoque stylo configere nascentem hæresim potuisset, nec segnius exequi, quàm dare imperia, spes erat orthodoxæ religionis, expurgatis aliquantulum, quæ eam turpius hac ætate defædaverant, morum inquinamentis, ad meliorem formam, pristinamque avitæ fidei dignitatem revocandæ: quæ denique, adultâ jam hæresi suisque radicibus firmiore, cœpit deficere, ac fallere seriùs obnitentes. Hic primus Caroli Imperantis scopulus, ad quem cum ipso allisum imperium hæsit, ac perniciosissimo errori vires cunctando indulsit, & quod celeritate malum sanari poterat, morâ incurabile reddidit. Quanquam in Catholicos Germaniæ Proceres hæc potiùs extremæ labes negligentia incumbat, quorum & consilio, & opibus, feruidus animosusque ceterà Princeps, Carolus destitutus; nec ad suadendum satis autoritatis; nec ad audendum facultatis abundè adferebat. His tamen, illâ animi sententiæque destinatione, vicariam Imperii potestatem

1627

Ferdinandus  
Fratres  
Cæsaris  
Vicarius,  
imbecillis  
aetate  
&  
viribus.

Cæsaris  
fervor,  
quæ  
impotentia  
exequendi  
maior.

Palavic.  
in hist.  
T. d. ex  
Syllaba  
Alessand.  
ad Iulium  
Card.



An. Chr. tradidit, ut sancitas decreto leges severe vindicarent: neque alijs alijsque ad nova consilia Ordinum conventionibus, ut factum postea, moras viresque fidei aduersarijs suppeditarent. Nullibi enim minus ad rem tantam consilij, quam inter tot consilia repertum: quibus, dum cunctanter opportunitas quaereretur, amissa est: dumque explicare sese erroribus Germania nititur, tanquam fera castibus intercepta, magis sensit implicari, ut suo plenius loco accipies.

LXVII.  
Lutherus  
inita cu  
Diabolo  
disputa  
tione ut  
ipse fero  
tur, mira  
de re  
gione no  
va medi  
tatur.

Porro Lutherus in sua hac solitudine minimè solus, illam quam ipse profite-  
tur in libro de *Missâ angulari*, cum Diabolo consuetudinem (quis non obstupe-  
scat?) contraxisse videtur. Illa certè, quæ ad ejus sacrificij abrogationem pro-  
fert argumenta, dictata sibi à Diabolo esse, profiteri non erubuit; ut sectatores  
ejus intelligerent, quo cum suo Magistro spiritu ducerentur. Et tamen (ô incre-  
dibilis mortalium vecordia!) tot post illum myriades hominum, breviculæ li-  
beritatis fructu, ad manifestum ibant interitum, virumque Apostolicum, & S. Dei  
Scripturæ assertorem prædicabant. Qui (licet hæc professa cum Diabolo fami-  
liaritas defuisset) tot horrendis blasphemijs in Deum ceu autorem peccati, San-  
ctosque, & eorum imagines ceu idola Catholicorum, tot virulentis calumnijs  
convitijque in summa orbis capita, in Ecclesiæ Doctores, in plures S. Scripturæ  
libros, tot denique petulantissimæ linguæ scurrilitatibus ac spurcitij, quibus  
deindè, ex hac prorumpens latebra, non modò aures hominum; sed libros quo-  
que ad posteritatis complevit memoriam, abundè, quo raperetur spiritu, sanæ  
mentis hominibus manifestabat. Quæ profectò ejusmodi sunt, ut fidem adhi-  
bere nemo posset, nisi vulgatissimis Lutheri ipsiusmet monumentis, typisque e-  
dita propalam in luce exposita conspicerentur, ut cum ipsi demùm Lutherani  
velut collecta in sensum mente hæc intueantur sui Apostoli probra, iteratis scri-  
ptorum correctisque editionibus occultare conentur, atque hoc ipso cauteria-  
tæ aperiant vulnera conscientiæ, quæ suæ denique religionis autorem improbi-  
tatis condemnant, seque ipsos oblatrati, nec tamen deserti, erroris reos ar-  
guunt.

LXVIII  
Lutheri  
doctrina  
in Gallijs  
à schola  
Parisien-  
si, in An-  
glia à  
Rege da-  
mnatur.

Sed & nota alia damnationis gravissima Lutherana nuper lecta inflicta erat  
ab antiquissima celeberrimaque per Europam Parisiensium Theologorum scho-  
la, quæ post Colonienfium & Lovanienfium Academicam proscriptionem the-  
sium Lutheri, iisdem Theta nigrum præfixit, pronuntiavitque: *Doctrinam ho-*  
*minis execrandis scateris erroribus, quibus fidem moresque evertat, & Scripturam depræ-*  
*vet, & Spiritum S. blasphemet. Damnamus hanc, flammisque ultricibus, cum autore*  
*suo, nisi respiscat, abolendam: ut populi seductricem, Doctoribus S. Ecclesiæ, ejusque potesta-*  
*ti injuriosam, ac toti reip. Christianæ perniciosam.* Ad quam sententiam erubere  
tantò magis aduersarij, quanto ambitiosius jactaverant, hujus se patrocinio  
schola niti. Melancthon tamen, vernaculâ linguâ, à terra nigra, *Schvartz*: Erâ  
dictus, Palatinatûs inferioris incola, Lutheri recens castris adscriptus, & Latine  
Græcæque linguæ peritiâ ferox, vindicias molitus est, hoc titulo: *Adversus fu-*  
*riosum Parisiensium Theologorum decretum.* Cui Lutherus vernaculo sermone mor-  
dacissimum scriptura adjecit, non tam rationibus, quam probris dicerijsque res  
ferias



serias in ludibrium verrens : ut cum histrione in theatro , non Theologo in cathedra agere viderentur. Non tamen interea Melanchthon Lutherusque desperabat de Galliarum Rege Francisco , adeoque & populo suas in partes adducendo, tum ob æmulationem cum Carolo Imp. susceptam , tum ob illius ad luxum luxuriamque propensos mores; quæ in multis potentissima erant religionis hujus persuadendæ argumenta : ut & in Rege Anglorum postea compertum est. Verum in Francisco suâ expectatione frustratos esse, constabit annis sequentibus. Rex etiam Anglorum Henricus, jam per Carolum annuo, quod Rex Galliarum antea dederat, stipendio conciliatus , ut erat eruditione non omnino vulgari, sumpto calamo, Lutheri *de Babylonica captivitate librum*, perquam scite, assertis Ecclesiæ Sacramentis, confutavit, digno Christianas mentes odio adversus hominem illum inflammans , qui *velut pestis quædam deterrima, & Antichristi prodromus, in Christi sese Ecclesiam insunderet*, ut iccirco Regi huic, ab amplissimo Romanæ sedis collegio, *Defensoris fidei* titulus decretus fuerit, quem

lubrica deinde Regis vita in *Subversoris Ecclesiæ*  
infame nomen , tanquam Circe  
quædam, transmutavit.

